18.a

JUSTITIA BELLI ET PACIS

IN

STATU REGNI PORTUGALLICI

FUNDATA,

SIVE

HISTORIA PORTUGALLIÆ,

In qua quæ recensentur Bella gesta, Fœdera inita, Judicia instituta, Leges fundamentales, Ordinationes politicæ, aliaque Acta publica & domestica, à parte Portugallorum justa, Naturæque ac Gentium Juri consentanea esse,

PRÆSIDE

VIRO AMPLISSIMO, EXCELLENTISSIMO ATQUE CONSULTISSIMO.

DN. HENRICO COCCEJO,

ANTECESSORE, DECRETAL. PANDECTARUM ET JURIS GENTIUM IN ALMA ARCHI-PALATINA PROFESS. ORDINARIO, ET REGIMINIS ELECTORALIS CONSILIARIO GRAVISSIMO,

DNO. ET FAUTORE SUO COLENDISSIMO,

Ad Diem Julii, M DC XXCVII.

Defendit

BURCHARDUS NEUKIRCH, Westph. Paderb.

AUTOR & RESPONDENS.

Hodie Consiliarius Electoralis Palatinus, & Præfectus urbi Heidelbergensi.

Editio altera.

Francofurti ad Viadrum, LITERIS CHRISTOPHORI ZEITLERI, 1710.

SERENISSIMO. POTENTISSIMOQUE.
PRINCIPI. AC. DOMINO.

DOMINO.

PETRO. II.

REGI. PORTUGALLIÆ. ALGARBIORUM. CITRA. ET. ULTRA. MARE. IN. AFRICA. DOMINO. GUINEÆ. CONQUISITIONIS. NAVIGATIONIS. ET. COMMERCII. ÆTHIOPIÆ. ARABIÆ. PERSIÆ. INDIÆQUE. &c. &c.

DOMINO. MEO. CLEMENTISSIMO.

NEC. NON.

SERENISSIMÆ. AC. AUGUSTISSIMÆ.
PRINCIPI. AC. DOMINÆ.

DOMINÆ.

MARIÆ. SOPHIÆ. ELISABETHÆ.

REGINÆ. PORTUGALLIÆ. AL-
GARBIORUM. CITRA. ET. ULTRA. MARE. IN.
AFRICA. &c. NATÆ. COMITI. PALATINÆ. RHENI.
DUCI. BAVARIÆ. JULIACI. CLIVIÆ. ET. MONTIUM.
COMITI. VELDENTIÆ. SPONHEMII. MARCÆ.
RAVENSPURGI. ET. MEURSIÆ. DO-
MINÆ. RAVENSTEINII.
&c.

DOMINÆ. MEÆ. CLEMENTISSIMÆ.

Digitized by Google

SERENISSIME. AC. POTENTISSIME. REX.
DOMINE. CLEMENTISSIME.
NEC NON
SERENISSIMA. ET. AUGUSTISSIMA. REGINA.
DOMINA. CLEMENTISSIMA.

D*Um Orbis terrarum fortunatissimo applaudit Hymenæo; Dum regiis tædis nuptialibus accendendis occupatur, & pro Majestatum Vestrarum regalisque hujus Conjugii felicitate unanimi suffragio publica vota nuncupat; liceat & mihi inter hymenæos, inter conjugales tædas, inter vota denique publica, hanc qualemcunque submississimæ observantiæ tesseram Vestris Majestatibus humillimo cultu studioque exhibere. Ea quidem est regii hujus* connubii *singularis magnificentia atq; excellens conditio, ut culpa temeritatis non possit vacare is, qui, dum infinitis propemodum intervallis à luce tantæ Majestatis secernitur,* Regalibus istiusmodi pompis *ingerere sese integra fronte ausus fuerit. Attamen, quantum verecundiæ affert admiratio Majestatis, tantum accedit animi ac fiduciæ ex communione gaudii publici; cùm, ut lætitia ad omnium animos, ita gratulandi studium ad omnium officium pertinere, ejusque copia non summis modo, sed & mediis atque infimis concessa esse videatur. DEUM immortalem! quale, quantumque istud est* matrimonium! *Quàm bonis omnibus exoptatum! Quam dignitate augustum, celebritate famosum, splendore magnificum, omine fortunatum! Videre mihi videor* CRUCEM LUSITANICAM *

NICAM. * *felicissimi ominis; videre videor* Salomonem *in throno; Regem, inquam, video, cui* Sapientia *desponsatur, Virago Palatina, SOPHIA nomine & omine, cui proinde* patet janua, nuptias regias celebraturæ. *Commendavit suum Olympias Alexandrum à sapientia, quod* uxorem duxerit, *non tam* oculis *quam* auribus, *plusque tribuendum censuerit sparso rumori, quàm visæ pulchritudini. Extollat tua* Te *Lusitania*, Rex Potentissimæ, *qui SOPHIAM duxisti auribus, ut appareret, oculos non esse solos in amore Duces. Ablegasti Virum gravitate, autoritate, prudentiaque insignissimum, ac rerum gerendarum dexteritate Peregregium, illustrissimum Excellentissimumque Dn. Emanuelem Tellesium Silvium, Comitem* Villar-Majorium, *ut, quod res esset, ex tanto, tamque perspicaci acciperes judicio. Audivisti, & à vide audivisti, qui morum cultus, quæ laus, quæ animæ dotes Regiæ Tuæ Sponsæ essent; & hinc pulcherrimè dotatam esse, cum Plauto sciebas. Inventa tibi est Regia Conjux, qualem Claudio Imperatori quæsitam in Senatu Romano, & Principi cuique quærendam esse, ait solertissimus morum Principalium scrutator Tacitus;* Sanctimoniâ, *spe* fœcunditatis, & nobilitate *insignem. Et conjugem Regiam, quam Tacitus verbis, re SOPHIA Palatina exhibet. Exoptasti* sanctimoniam *in Conjuge*, Potentissime Rex? *En ipsum pietatis vultum & sanctimoniæ faciem! Spem* fœcunditatis *secutus est? En sponsam ex Serenissima Domo Palatina, cui gentile quasi & laus familiaris est fœcunditas!* Nobilitatis *vero apicem quis dicendo consequetur? Constat, domum Palatinam florem esse Nobilitatis Germanicæ, & omnis Serenitatis in Imperio, quin in toto propè Europæo orbe Christiano, complexum atque compendium. Natales suos illa habet cùm ex Carolo Magno Imperatore, tum ex Conradorum vetustissimo sanguine Salico, id est, Palatino; quæ duæ sunt Nobilissimæ prosapiarum Imperii Origines. Præterea verò Domus hæc per Universam propè Europam,*

 pam,

*(Crux insigne Lusitaniæ)

Digitized by Google



pam, & suprema ejus capita Genus suum Nobilitatemque diffundit. Quis enim credat, Serenissimam hanc domum Electoralem Neoburgico-Palatinam, Regiæ Sponsæ Genitricem, XXII. Cæsaribus illustrem esse, atque de stirpe sua masculina XI. Imperatores Romanos orbi dedisse? At tot computat Dominicus Franciscus Calin de Marienberg in Libro cui titulus: Gentilitius honos Seren. Neoburgicæ Prosapiæ. *Quis credat, eam sex Imperatrices, præter modernam* Gloriosissimam Augustam: *viginti septem Reges Hispanos, Castellæ, Arragoniæ Legionis, & Asturum: sex Reges Franciæ: quatuor Reges Lusitaniæ: quinque Reges Angliæ: Novendecim Scotiæ: totidem Navarræ & Siciliæ; unum & viginti Reges Hungariæ & Bohemiæ: quinque Reges Poloniæ: undecim Daniæ & Sueciæ: Tredecim Reginas variarum Nationum, præter modernam* Regiam Sponsam Lusitaniæ: *Electores duos Brandeburgicos, unum Saxoniæ, &c. produxisse? Id verò asserit & singulorum quoque nomina ordine per deductiones singulas particulatim & explicatius exhibet Tractatus, qui inscribitur:* Annulus memoriæ, *Serenissimo Principi* Josepho Jacobo *Archiduci Austriæ, filiolo Cæsareo,* Regiæ Sponsæ *ex Augusta sorore Nepoti, dicatus & consecratus. Taceo Cæsareas Regiasque filias in Domum Palatinam ejusque thalamos deductas; quo nomine Rupertus Imperator, Palatinorum Pater, Adolfum Imperatorem, Atavum, ipsumque adeò Habspurgensium Heroëm, Rudolfum I. Magnum illum Augustissimæ familiæ Austriacæ Autorem, Tritavum habuit. Taceo Duces ac Principes, qui hodieque Palatinatum Bavariamque prolixo numero, & immortali Nominis sui gloriâ ac Heroicarum Virtutum laude insignes tenent. Memorandum verò ante omnia esset geminum illud familiæ Palatinæ ac Bavaricæ, cum gloriosissima Austriaca ac Cæsarea Connubium hodiernum, cujus necessitudinis vinculo orbis terrarum continetur. Memoranda quoque foret summa ac vetustissima Comitatus Palatii Imperii dignitas, quæ Sacra Cæsareæ purpuræ semper proxima fuit. Sed*

majora

Digitized by Google



majora & ampliora longè hæc ſunt, quam ut paucis abſolvi poſſint. Materni quoqve ſtemmatis vetuſtas imagines ac gloriam quis neſcit? Sereniſſimam inquam & Heroum feracem Landgraviorum Haſſiæ gentem, ex qua Sereniſſima Electrix, Regiæ ſponſæ Mater, *originem ducit, quæque à veteribus Brabantiæ Ducibus olim orta, in hoc usque tempus inter præcipuas Principum Germaniæ familias locum & dignitatem obtinuit. Hæc eſt Nobiliſſimi ſanguinis Palatino-Neoburgici in Sereniſſimam Principem SOPHIAM* ſponſam Regiam *derivati quædam delineatio. Atque iſte omnis per plurimorum Heroum nomina deductus, nullaque vulgi fæce contaminatus ſanguis, in Sereniſſima hac Virgini Palatina, veluti in vivo quodam, eoque gratioſiſſimo compendio collectus, ita reſplendet, ut in illa Majorum virtutes vivis veluti characteribus deſcriptas conſpicere liceat. Quam cùm intueor, cum* Claudiano *meritò exclamo:* Quis venerabilior ſanguis, quæ major origo! *Quàm benè itaque conveniunt, ſolioque morantur in uno, PETRUS & SOPHIA,* Salomon *cum* Sapientia? *Qui ſicut aurea felicitatis tempora à regni ſui primordio in Luſitaniam invexit, ita patriam univerſam, ſpe naſciturorum pignorum excitatam, amabili porrò rerum omnium ſucceſſu cumulabit. Id quod Luſitani Nominis ſtudioſa precatur Germania, & feſtivis plauſibus exoptat gens Palatina, exoptat Academiarum Germaniæ Mater (noſtram Electoralem Palatinam dico) gratulabunda. Quorum Congratulantium vocibus ut* ſubditus *me immiſceam? Sed* Jove tonante ſileant ranæ! *Ubi Reges & Principes Regias nuptias gratulando celebrant, Sileant privati. Ubi vox publica Univerſitatis ſolenni panegyri id officium exequitur, taceant ſinguli. Tacebo itaque & ad radios M. M. VVrum oculos demitto & obmuteſco, mutasque haſce chartas humillimas, pro me loqui patior. Sed quid?* Pagina judicium docti Principis ſubitura, movetur, *teſte vate. Exilis hæc pagina M. M. VVrum oculis exhibita quidni moveatur? Verum animum addit cùm publicæ lætitiæ communio atque*

ſocietas:



ſocietas: tum operis hujus argumentum, quod Juſtitiam Belli & Pacis in ſtatu Regni Portugallici fundatam *exponit, uti eam, quò publicè magis appareat, in Academia hac ex Cathedra defendendam ſuſcepi. Cum igitur Juſtitiam defendam, non debui contra communes juſtitiæ regulas* (*quæ præcipit* ſuum cuiq; tribui) *committere, ut quicquid id eſt operis ac laboris, aliis, quam M. M. VVris, conſecraretur. Non debuit, inquam, quod* Veſtrum *eſt, Veſtrique gratiâ humillimo cultu ſtudioque conſcriptum, niſi Veſtris aris imponi; Deos alienos adorare nolui. Accipe igitur Sereniſſime Rex, accipe Sereniſſima Regina, hoc quidquid eſt thuris, quod Regiis Nominibus Veſtris adoletur: Favete huic Lucubrationi, quæ conata eſt decantatam Orbe toto ampliſſimi Regni Veſtri gloriam præſenti memoriæ, publicæque admirationi ſubjicere. Eam quod illuſtrare poſſitis, Veſtræ eſt Regiæ dignitatis, quod velitis, ſummæ virtutis ac pietatis! Ego utramque veneratus, atque ad regale ſolium provolutus, Ei exile hoc opuſculum humillime dico, offero, conſecro,*

SACRARUM REG. MAJESTATUM VVrum

Humillimâ devotione ſubjectiſſimus ſervus

BURCHARDUS NEUKIRCH.



SECTIO I.

Exhibens Justitiam Belli & Pacis fundatam

In

Historia Regum Portugalliæ,

Ex Mariana, Resendio, Thuano, Conestagio, Texera, Victorio Siri, Thuldeno, aliisque Historiographis desumptâ.

ART. I.

De

Origine Regni Portugallici.

I.

PORtugallia, *comprehendens potiorem Lusitaniæ veteris partem, & non à* Gallia, *sed à* portuGale *ita dicta, sub Roderico, Gothorum Rege ultimo, cum reliqua ferè Hispania ad Mauros devenit, ab iisque diu usurpata fuit; donec sensim Christiani Reges eos iterum expellerent, ac imprimis Ann. 1693. Alfonsus Sextus, Rex Castiliæ & Legionis, qui Toletum expugnavit, contra Mauros meditaretur arma, & auxilia exterarum Potestatum acciret. Ad Alfonsum igitur Imperatorem, in asserenda Hispania laborantem, conveniebant magni viri, militiam suam Christiano nomini devoventes: Inter quos emicuêre Raimundus Comes S. Ægidii &* Henricus *Lotharingiæ Co-*

mes, quem Bisantii in Burgundia natum, alii, ambiguo Bisantii duplicis nomine decepti, Constantinopolitanum dixerunt. Horum ut necessitudine arctiùs se muniret Alfonsus, eos filiarum connubiis sibi devinciendos existimavit. Theresiam igitur filiam minorem sibi valdè dilectam, ex Simena uxore & Regina natam, Henrico *Lotharingiæ Comiti in matrimonium dedit. Atque, ut insigniore officio ac nexu virum maximum sibi associaret, Gallæciæ tractum, qui* tralos montes *sive ultra montanus dicitur, totumq; id, quod recentiori vocabulo* Portugalle *tunc dicebatur, à Durio flumine usque ad Lusitaniæ urbem Conimbricam, jure clientelæ in remunerationem virtutis militaris, dotisque nomine assignavit, & liberum ei fecit, eam quoque Lusitaniæ partem, quæ à Saracenis usq; ad Beticæ confinia occupata fuerat, recuperare, suoque dominio adjicere. Raimundo verò filiam majorem, cui regnum debebatur, Alphonsus spopondit. §. 2. Henricus ex Theresia conjuge, quæ semper Regina fuit appellata, filium genuit* Alphonsum Henricum, *qui Patri A C. 1112. defuncto impubes succesit in Principatu, Dux primùm Portugalliæ dictus, cujus ditionem vitricus, Ferdinandus Pazius, Comes Trastamaræ, cui mater denuò nupserat, sibi arrogabat. Sed Alphonsus jam adultus, armis in vitricum sumtis, feliciter eum cædebat & sedibus Portugalliæ ejiciebat; Matrem verò carceris custodiâ detinuit; Quæ, imploratis Alfonsi VII. Castiliæ Regis auxiliis, Portugalliam, filio suo exhæredato, ipsi promisit. Sed Alphonsus Dux Portugalliæ Castilianos prælio fudit, quâ victoriâ à jure dominii directi Castellanorum se liberatum contendebat. Deinde bella gessit quamplurima, urbes multas expugnavit, Saracenorum potentiam fregit. Quare commotus Ismarius, magnæ partis Africæ, Beticæq; Rex, convocatis quatuor aliis Regibus, tam ex Africa, quàm ex tota ulteriore Hispania, tantas congregavit copias, ut quadrigentæ millia hominum exercitus superâsse dicatur. §. 3. His copiis confisus Ismarius in Alphonsum properabat, lentis itineribus sed*

ad vin-

Digitized by Google

ad vindictam concitatissimo. Nec ille segniter processit obviam. In agro igitur Orchiensi paulo infra Castrum viride oppidum, non procul à confluente Cobris & Tergis fluviorum, in mutuum conspectum venientes castra posuerunt: Insedit tumulum Alfonsus, ubi vetus sacellum erat, in quo senex quidam provectæ ætatis eremiticam vitam agebat, inter Maurus ob paupertatem & vitæ sanctimoniam nullius injuriâ lacessitus. Non videbatur Alfonsi militibus sani esse consilii, cum tantâ multitudine hostium, qui circumclusa Alphonsi agmina spe jam devorabant, & centum singulis opponere poterant, confligere, sed militum animos oratione spei & fiduciæ plenâ Princeps confirmavit; dimissisque ad curandum corpora, crastinum diem, qui Jacobo Apostolo, Hispaniarum Patrono, sacer erat, expectari voluit. §. 4. Cum advesperasceret, Anachoreta ille Alfonsum adit, fortique esse animo admonet, & auditio tintinabuli, quod in sacello erat, sonitu, signum Servatoris cruci suffixi appariturum illi promittit. Primo itaque diluculo ad tintinabuli sonum Alfonsus suspexisse promissum Servatoris signum, ejusque visi voluptate abreptus adorâsse eum ac victoriam contra infideles rogâsse dicitur. §. 5. Hoc conspectu lætus, animoque firmatus, & jucundissimè affectus arma postulat, armarique milites imperat. Quem jam signa cani jubentem Proceres adeunt, & , ut Regem Se salutare militibus permittat, flagitant. Quod ille modestè recusans, satisque honorificum sibi inter milites Ducis nomen esse causatus, operam darent monuit, ne Dux milites desideraret; sibi curæ fore, ne ipsos Ducis sui pœniteret. Cùm verò instarent milites, & ferè cogerent, & animum sibi esse jactarent pro Rege pugnare ardentius, vincere honestius, ac mori alacriùs, tandem magnis vocibus inter tubas, lituos, & tympana ter acclamatum: Alfonso Henrico, primo Lusitaniæ Regi, vita & victoria. *Deinde militibus tesserâ, ferabatur in hostes. §. 6. At parte ex alia cum innumerabilis ille Barbarorũ exercitiꝰ varius dis-*

ſoniſque clamoribus, horribilique fragore perſtreperet, commiſſum eſt prælium ſanguinolentum & pertinax, à prima diei hora uſque ad meridiem; donec Iſmarius, rebus deſperatis & amiſſo in conflictu Conſobrino, cui ſui corporis cuſtodiam mandaverat, nomine Homor Atagor, Halli Regis nepote, fuit ipſe, & una Reges qui prælio intererant. Tantum autem ſanguinis effuſum dicitur, ut ex cædis loco rivuli in Cobrin atque Tergem decurrerent. Quin inſecutâ paucos poſt dies pluviâ, cum tinctam atro ſanguine ſuperficiem laviſſet, creviſſentque rivi, Terges, qui ad confluentes Cobrin recipit, etiam usque ad Anam aquas infectas pertuliſſe legitur. §. 7. Alfonſus igitur novus Rex, ac tot Regibus uno prælio devictis, Regio honore plusquam dignus, conſueto Victoribus more, in caſtris triduo permanſit, &, conceſſâ militibus prædâ, ipſe, qui tum niveo ſcuto utebatur, nova inſignia commentus, primum ejus ſigni, quod modo memoratum eſt, veneratione, in argenteo ſcuto cæruleam crucem formavit; tum in memoriam de quinque Regibus partæ victoriæ ſcuta quinque per ipſam crucem diſtinxit, & in unoquoque triginta nummos argenteos figuravit, quòd totidem mundi Servator venditus eſſet: quæ nummorum figura à poſteris Regibus commodiùs ita mutata eſt, ut ſingulis ſcutis 5. nummi inſcripti, ſimul cum ipſis ſcutis numerum triginta explerent. Hæc tunc ibi ſumpta inſignia. De Caſtellis verò aurei ſeptem, quæ in rubro campo ſcuti regii oras ambiunt, vid. inf. art. 2. §. 4.

Quæſt I.

Ad §. 1. verb. In remunerationem virtutis militaris dotiſque nomine aſſignavit &c.

An hæc origo Regni Portugalici juſta ſit? Reſp. Originem eam eſſe juſtiſſimam juxta ac glorioſiſſimam. Haut equidem latet, quam agitata in Germania, Gallia, Suecia ac alibi ſæpe fuerit quæſtio de jure alienandæ partis Regni vel

vel Principatus; videturq; dicendum, quòd Rex non possit regnum, ejusve partem alienare, adeoq; nec dotis nomine in alium transferre: id quod Gallia sibi lege quadam Salica datum prætendit: Regia enim potestas in administrando & conservando, non verò in destruendo sive abutendo consistit, eoque differt à dominio privato, quod potestatem abutendi & consumendi quoq; continet; neque verò regna sunt patrimonialia, sive jure succesfionis, sive occupatione acquisita sint. Sanè si titulò privato, V.G. empti vel donati regnum acquisitum jure fuerit, jus ita ritè quæsitum eodem mode iterum alienari potest. Verum pro decisione quæstionis nostræ dicendum, non omnem alienationem ad destructionem seu deteriorationem Imperii, sed aliquando ad conservationem ejus pertinere, & partem administrationis esse, nimirum si necessitas, vel utilitas totius, aut officii ratio alienationem partis requirat; quod non subditorum, sed ipsius Principis judicium est. Ita si in re dubia per transactionem, aut pacis redimendæ causâ, pars alienetur, valebit, ceu conservandi totius causâ factum. Imprimis verò ad officium Principis pertinet, benè meritos de Republica, quorum operâ conservata ea est, remunerare: *Nullam enim Rempublicā ratione quadam & disciplina designatam videri, si in ea non remunerentur rectè facta, ait Cic. de Natur. Deor.* Potuit igitur tam insignis Henrici opera parte territorii (præsertim dotis nomine datâ) compensari. Qua ratione etiam feuda constituta sunt, & integra quoq; territoria feudi jure concedi solent: quemadmodum hæc pars Henrici jure saltem clientelæ permissa, & jure demum belli plenè postea quæsita dicitur. Vid. §. 2. Portugalliæ ergo mater virtus est, & Regnum istud virtute partum vel hoc omine nunquam dilabetur.

Quæst. 2.

Ibid. verb. filiam majorem, cui regnum debebatur. &c.

An jus primogenituræ à natura sit? R. non esse in hæreditatibus, at in principatibus: in quibꝰ, cum non omnes simul, sed unus tantùm succedere possit, ac nulla ratio sit, quæ minorem majori præferat, sola superest, quæ majorē minori. Tractatum id fuit inter duos Darii Persarum Regis filios, Artemenem majorem, & Xerxem fratrem; decisumq; fuit eâdem ferè distinctione, quam dedimꝰ: fratres enim omnes privatum patrimonium vindicare posse, uterque fratrum fatebatur: at regnum esse natu majoris. Verùm Xerxes majorem se Regis filium venditabat, quòd primùs post partum à Patre regnum genitus esset; obtinuitq; favore potiùs patrui, & fratre ipso cedente, quam jure: quo regnum fratri majori debitum fuisse scribit Justinus *lib. 2. Hist. 10.* ubi addit: *Hoc jus & ordo nascendi & natura ipsa Gentibus dedit.*

Quæst. 3.

Ad §. 2 Verb. Matrem carceris custodiâ detinuit &c.

An ejus, qui Rex aut Princeps est, imperio subjecti etiam sint ipsius parentes, uxor, cæteraque regia familia? Resp. Affirm. Nam distinguendum est inter potestatem domesticam, & publicam: quoad potestatem domesticām Rex subest parentibus suis; quoad potestatem publicam autem hi subsunt filio Regi. Imperium enim inhæret toti territorio, adeoque omnibus personis & rebꝰ, quæ in territorio sunt. Sed & familia Regis pars regni est, cui, ac singulis ejus partibus, cum summa potestate Rex præest. Unde Ptolemæus, cùm filio regnum suum tradidisset, ipse privatus officium ei fecisse dicitur ap. Just. *lib. 26. c. 2.*

Quæst.

Quæst. 4.

Ad §. 2. Verb. Et filio suo exheredato &c.

An Rex testari de regno posſit, & filium à ſucceſſione regni exhæredare? Hæc quæſtio magni momenti eſt, & duo membra continet, alterum de jure teſtamenti in genere, alterum de jure excludendi filii. Quod utrumque negatur. Teſtamentum enim eſſe juris ſaltem poſitivi ac voluntarii, licèt ejus, quod pluribus gentibus commune eſt, vel ex eo patet, quòd ſit diſpoſitio quædam, quæ, mortuo demũ diſponente, vim capit aut incipit; id verò naturaliter fieri nequit, nec diſpoſitio aliqua incipere eo tempore, quo diſponens amplius non eſt. Deinde cùm teſtamentum valeat ac ſubſiſtat ex ſola unius acceptatione, id quoque meri juris poſitivi eſt, cùm naturaliter nulla diſpoſitio inter homines, qua de jure ab uno in alterũ transferendo agitur, valeat, niſi utriusq; conſenſu, adeò ut, quamdiu pars nondum acceptavit, tota diſpoſitio ex ratione naturali ipſo jure nulla ſit, nullamq; penitus vim habeat. Unde ſequitur, quòd ſummi illi Principes, qui nullo jure civili, ſed naturali obligantur, ex teſtamento efficaciter non teneantur, nec in eorum præjudicium illa valere posſint. Etſi verò teſtamenta quoque inter Principes hujusmodi pleno jure valerent, tamen (quod alterum quæſtionis membrum eſt) excludi eo filius & ſucceſſor à regno non poſſet, cum nec à feudis posſit, ex communi & recepta Feudiſtarum ſententia: Non enim in regno aut feudis ille ſuccedit ex ſolo beneficio defuncti ac mero jure hæreditario, ſed & ex jure, quod à primo adquirente ejusque pacto ſeu diſpoſitione quæſitum habet, adeoque facto alterius auferri ipſi non poteſt. Quod autem Carolus Magnus teſtamento diviſerit regnum inter tres filios ſuos, ea diſpoſitio non jure teſtamenti, ſed ex conſenſu Procerum, valebat.

Quæſt.

Quæstio 5.

Ad §.Verb.His copiis confisq Ismarius in Alphonsũ properabat &c.

An Ismarius metu crescentis potentiæ potuerit inferre bellum Alphonso? Resp. Suspectam vicini potentiam non esse justam causam inferendi belli; idque eo probatur, quòd bellum præsupponit injuriam acceptam, sive jus læsum, quemadmodum privatus non potest actione jus in judicio persequi, nisi id ipsi absit, ac jus læsum fuerit. Sane, si vicinus potentiâ suâ abutatur, & per fas nefasq; alios conetur deprimere, ita ut nobis quoq; bellum aut vis ab eo expectanda sit, non jam nudus est potentiæ metus, sed initium aliquod injuriæ, quæ incipit, quando alii paratur; qui proinde præoccupare executionem ejus potest. Equidem tunc tua res agitur, cùm proximus ardet Ucalegon; Si quis ex merâ ambitione passim vicinos suos invaderet ac subjugaret, jure communis hæc vicinorum causa videri potest. Ex quo judiciũ ferre licet de eo, quòd Gallos sese opposuisse nimium crescenti Hispanorum potentiæ dicit Grammondus *lib. 4. hist. Gall.* quam Gallorum sententiam acriter reprehendunt alii, inter quos est Antonius Perez *in Jure publico.*

Quæst. 6.

Ad §. 7. verb. Regio honore plusquàm dignus.

Num virtuti an generi prior locus debeatur? R. Virtuti: illi enim competit ex merito proprio, generi ex alieno: illi naturâ, huic moribus.

Ita Seneca: *Est clara virtus; qui genus jactat suum,*
Aliena laudat.

Et Claudian. *Virtute decet, non sanguine, niti.*

Gravis in eam rem est Oratio Marii, Viri summi, apud Salust. *in bel. Jug.* At pessimè tamen Phraates Parthorum Rex regnũ, omnibus filiis suis præteritis, fratri Mithridati, ceu

insignis

signis virtutis viro reliquit, Justin. *lib. 14. c. 5.* Ita enim virtuti favendum est, ut ne aliis, imprimis filiis, jus quæsitum ac naturâ ipsis comparatum auferatur.

ART. II.

De

Progressu Regi Portugall.

I.

ALphonso A. C. 1185. mortuo successores quoq; ipsius multa heroica facinora, imprimis in Saracenos gesserunt; nam à filio ipsius Sanctio I. qui multas civitates condidit & populo instruxit, tanta strage Saraceni propè Hispalis muros affecti sunt, ut Bætis fluminis undę sanguine tinctæ fuerint. Et deinceps auxilio Classis Danicæ, quæ vi tempestatis in Olysiponensem portum appulerat, Sylvensem civitatem, ejectis Saracenis, recuperavit, ac prædam sociis concessit. §. 2. Huic filius Alfonsus II. *cognomine* Crassus, *in regno ac victoriarum contra Saracenos felicitate, iisq; fortiter repressis, ope classis Batovorum, quæ ad bellum sacrum contendebat, urbem Alcassarem eripuit. §. 3.* Sanctius II. *quoque Alfonsi hujus filius, cognomine* Capellus, *pluribus eos victoriis fatigavit, quanquam ipse rebus agendis impar existimatus, & populo visum fuerit, annuente Innoc. IV, vicarium ipsi fratrem Alfonsum dare; salva tamen manente Sanctio dignitate Regia, salvòque, si liberos gigneret, jure successionis. Decessit ann. 1246. §. 4. Sanctii frater* Alphonsus III. *ducta Beatrice, Alphonsi X. Regis Castellæ & Legionis filia, regnum Algarbiorum in dotem accepit consensumq; ei est ab Hispanis, ne quid penderetur, neve cogeretur Reges Portugalliæ, ut ex fœdere debebant, curiis seu conventibus Hispanorum interesse. Expugnatis Louela Pharo, Aljezurio & Albofeira, Portugalliæ Regni insignibus Clypeum purpureum addidit, aureis Castellis respersum. Obiit ann. 1279. §. 5.*

 Hujus

Hujus filius Dionysius, *multis virtutum, maximè liberalitatis & justitiæ, encomiis deprædicatus à Portugallis, & cui prima scholæ Conimbricensis rudimenta tribuuntur, honestissimis stipendiis eruditos ornavit, multa quoque ædificavit oppida & diruta reparavit, legesque saluberrimas regni condidit, judiciorumq; ordinem constituit; Primus in Portugallia carmina lingva vulgari scripsisse, indeq; poësis versuum similiter cadentium ad Siculos, hinc ad Italos, deinde ad alios quoque populos dimanasse dicitur. Algarbiorum Regis titulum primus usurpavit, latronibusque sublatis tutum in regno iter præstitit, ac, potentiorum in plebejos vi repressa, Ann. 1325. obiit. Proverbium de eo circumfertur: Rex Dionysius, qui faciebat quicquid volebat. §. 6. Post mortem Patris Dionysii sceptrum capessivit* Alphonsus IV. *ferox dictus, qui Beatricem Sanctii IV. Castellæ Regis filiam duxit, &, quamvis cum illius nepote, Alphonso XI. magnas simultates gereret, in prælio tamen adversus Mauros ad Salatem fluvium ei adfuit, quo* CCCCCIↃ. *Saracenorum cæsa dicuntur. Puellam insigni forma præditam D. Agnes de Castro, quam filius ejus Petrus sibi clam desponsarat, morte multavit, qua de causa Petrus indignatus, non sine damno regni in Patrem insurgebat, donec tandem transactione res componeretur. De cætero Rempub. saluberrimis legibus juvit, multa quoque alia gessit fortiter, & in bello ac pace laudem meruit. §. 7. Patre Ann. 1357. mortuo regnum devolutum est ad* Petrum; *qui rigidus justitiæ assertor causidicos & rabulas litium satores ejecit. In delicta quoq; severissimè animadvertit; Bonos verò donis etiam ad fiscum deferendis locupletavit. Princeps valde liberalis, Regem non esse dictabat, cui dies sine beneficio abiisset. Fatis cessit Anno 1368. §. 8. Filius ejus* Ferdinandus *sceptro admotus, cùm à Sanctio IV. Castellano per filiam ipsius Beatricem recta linea descenderet, Henrico, Regi Castellæ, Status juxta ac Regni quæstionem movit. Id tamen parum feliciter cessit, regnumque bello implicitum, & miles ex Anglia*

Digitized by Google

glia evocatus infestior Portugalliæ fuit, quam ipse hostis. Obiit Anno 1383. §. 10. *Post obitum Ferdinandi sine liberis legitimis mortui, Portugalli proclamarunt Regem* Joannem I. *qui filius fuit Petri Regis ex prædicta Agneså de Castro natus, & Portugalliam adversus Reges Castellæ fortiter defendit, Septam, Mauritaniæ urbem opulentissimam & munitissimam, magnå Saracenorum clade, uno die expugnavit. Codicem Justiniani in patrium sermonem verti curavit, & ob multa memorabiliter ab eo gesta, Rex bonæ memoriæ fuit cognominatus. Inter plurimos liberos habuit Eduardum, qui Patri successit in regno. Obiit Anno 1433.* §. 11. Eduardus *Princeps optimus, sed multa infelicia expertus fuit. Fratres ejus expeditionem suscipiebant in Africam, sed in obsidione urbis Tanger in manus hostium incidebant & captivi abducebantur, cogebanturque Mauris promittere restitutionem Ceutæ, fratrem Ferdinandum relinquentes obsidem: sed quoniam Proceres Portugalliæ hâc sponsione sc. non teneri arbitrabantur, obses ille in carcere diem clausit.* §. 12. *Hæredem coronæ habuit Eduardus filium* Alfonsum. V. *qui Anno 1438. regnum adiit, eiq; mater testamento patris erat tutrix constituta. Sed quoniam Proceres imperio fœminæ subesse nolebant, administratio regni offerabatur Petro Duci Conimbricensi Alphonsi Patruo, quem postea Rex in exilium abire jussit. Fuit vir fortis & Dux belli strenuus, & plurima oppida expugnata regno adjecit, nobilissimamq; à Saracenis victoriam reportavit, quapropter & Africanus dictus est.* §. 13. *Filius ejus* Joannes II. *Ann. 1481. diadema adeptus, res magnas animo suo volvit. Ipse est, qui, quod Henricus Patruus ipsius magnus cœperat, navigationes ad inquirendum, novas incognitasq; terras instituit, missaq; classe instructissima, promontorium illud, quo nullum in toto orbe majus est, & præter quod cum magno Europæ commodo ad Indos Orientales via patet, primus aperuit, & Caput illud* bonæ spei *vocari jussit; Terra quoq; nuncios ad investigandum Indiæ situm, atq; ad*

magnum Æthiopum seu Abyssinorum regem Christianum misit, cumq; ad amicitiam & commercia invitavit; Mauris quoq; vectigalia imposuit & sine liberis decessit Ann. 1495. *§.* 14. Emanuel. *Eduardi Regis è filio Ferdinando nepos, patrueli Johanni II. sine liberis denato successit, & magnum ac arduum illud opus per immensi Occeani ambitus Indias Orientales adeundi magno animo feliciterq; executus est. Hic tres uxores successive habuit: primam Isabellam Ferdinandi Catholici filiam (unde Castellæ & Legionis Principatu inauguratus est) ex qua sustulit* Michaelem *qui puer obiit; Secundam Mariam, Isabellæ sororem, quæ illi peperit* Johannem: Isabellam *Augustam, Caroli V. Imperatoris uxorem, ex qua natus Philippus II. Hisp. Rex:* Beatricem, *quæ Carolo Sabaudiæ Duci nupsit:* Ludovicum *Ducem Pacensem:* Ferdinandum: Alfonsum *Cardinalem, & Archiepiscopum Olisiponensem &c.* Henricum *Cardinalem:* Eduardum *(qui duxit Isabellam, Jacobi Brachantiæ Ducis filiam, ex qua sustulit* Mariam, *quæ Alexandro Farnesio principi Parmensi nupsit: &* Catharinam, *quæ Johanni Duci Brabantiæ:* Mariam: Antonium, *qui infans obiit. Tertiam uxorem duxit Leonarum, Philippi Regis Castellæ & Archiducis Austriæ filiam; ex qua ei nati Carolus brevis vitæ; Maria, quæ cœlebs vixit. Fuit itaq; Emanuel felicissimus Princeps, insigni prole, & rebus præclare gestis illustrissimus. Siquidem orientis portas primus aperuerit, & multa majoribus nostris incognita manivestavit, Æthiopiæ, Indiæ & Persidis partem non minimam, Malacam, Molucos, Brasiliam & innumeras Oceani insulas partim fœderis ac commercii, partim Imperii, jure sibi adjunxit. Multos Reges subegit, & tanto maris ac terræ spatio dissitus tributarios & vectigales reddidit. Babyloniæ Regis Chyses superavit. Maximas auri, argenti, lapillorum, margaritarum, armatorum, & aliarum Orientalium mercium divinitas in Portugalliam invexit, quamvis ab hoc commercio cū Indis instituto Portugallos excludere frustra conarentur Sultano*

Ægypti

Ægypti & Respublica Veneta, per quos solos hactenus merces Indicæ in totam Europam fuerant derivatæ. Judæos ad Christi fidem converit; Saracenos è regno exterminavit, Religionem instauravit. In religiosos omnium ordinum liberalitatem exercuit. Christianam fidem per Æthiopiam, Indiam & varias orbis partes propagavit, atque ad eam conversos mirè fovit. Hisce incrementis refloruit Portugallia sub Rege Emanuele, qui obiit Ann. 1521. Hujus regiminis tempus Portugalli aureum appellant seculum. §. 15 Regni hæres ipsi fuit filius JohannesIII. *Princeps benignus & clemens, cujus tempore societatis Jesu exorta, atq; in Portugalliam invecta est: S. Xaverium ad Indos fidem Christianam ibidem plantarum, misit. Academiæ Conimbricensi largissimis sumptibus prospexit. Castilianos à Moluccis insulis depulit, Turcarum, Maurorum, Calecutanorum piratas innumeros neci dedit. Dium urbem portumque totius Orientis commodissimum Regi Cambajæ armis eripuit, Regem ipsum duplici pugna superavit, Turcasque auxiliares profligavit, filium habuit* Joannem *qui Joannam Caroli V. Imperatoris filiam duxit & ex ea posthumum reliquit Sebastianum. Ipse deniq; obiit 1557. §. 16. Unde* Sebastianus *Joannis III. è filio Joanne nepos, trium adhuc annorum puer sub tutela aviæ Catharinæ & Henrici patrui magni successit, anno ætatis decimo quarto regni gubernacula suscepit. Nimis præcipiti gloriæ parandæ studio impulsus & Reg Marochiorum Mulcy Mahomet, qui auxilium ejus adversꝰ patruum implorabant, opem laturus, trajecto in Africam exercitu Fessense regnum petiit; sed Ann. 1578 ab infinita barbarorum multitudine oppressꝰ, cæsis decem millibus Christianorum totidemq; captis vel occubuit, vel fugâ elapsꝰ ad ignotas terræ plagas abii tcælebs adhuc: ætatis anno 24. Prælium hoc celeberrimũ est cæde trium Regum memoranda, siquidem præter Sebastianum occubuerunt quoq; Rex exul Mulcy Mahomet, & Rex Marochiorum Mulcy Malucco. Cum autem mors Sebastiani incerta esse, postmodum in Lusitania surrexerunt*

quatuor

quatuor ficti Sebastiani, falsis Demetriis in Moscovia non absimiles, ad impendiendam legitimam succesſionem, quorum fraus & temeritas tandem detecta fuit.

Quæſtio I.

Ad §.1. Succesſores quoque ipſius.

Qualis ſuccesſio in Principatibus ac regnis mero jure naturali obtineat? R. Linealis, qualis deſcribitur in Aurea Bulla Caroli IV. & variis aliorum Impp. conſtitutionibus illuſtra eſt: in qua ſcil. non proximitas graduum ſed linearum reſpicitur. Jus enim lineæ primogenialis autori quæſitum, ſive in reali ſuccesſione illud conſiſtat, ſive in ſpe ſuccedendi, jure naturæ tranſit cum omni ſua qualitate ad ipſius deſcendentes: & ideo, donec illi ſuperſtites ſunt, reliquarum linearum cognatis, etſi ultimo defuncto gradu propiores fuerint, nullũ jus ſuccedendi eſſe poteſt. Et huic ſimplicisſimo Juri tamdiu inhærendum; donec manifeſté doceatur, aliud lege fundamentali Principatus conſtitutum fuiſſe.

Quæſt. 2.

Ad §.3. Verb. & populo viſum fuerit.

An Rex propter incapacitatem removeri à regno posſit? Aff. Si manifeſta ac perpetua ſit incapacitas; cujus rei exemplum notisſimum eſt in Wenceslao Boëmo, qui ab Imperio depoſitus eſt. Secus ſi in furorem Rex incidit, quod contigit Carolo VI. Galliarum Regi; quia furor intervalla habere, & ſpes convaleſcendi eſſe, non igitur interim jus quæſitum auferri poteſt.

Digitized by Google

Quæst. 3.

Ad §. 4. Verb. Regnum Algarbiorum in dotem accepit.

An in hoc titulo aliquid desiderari possit? Neg. Nam hæc regio pars fuit ejus terræ, quam à Saracenis recuperandam jam Alfonsus VI. Castiliæ Rex Henrico Lotharingo Portugalliæ autori promiserat, ut dictum est *art. 1. §. 1.* Cùm verò Saraceni diutiùs in hoc angulo hærerent, memoratus Alfonsus III. demum hoc accedente novo dotis titulo, adeoq; gemino optimoq; jure traditum sibi à Socero Castiliæ Rege accepit, terrisq; ac titulis suis adjecit; quod situs quoq; sui natura, ac veteris Lusitaniæ, cujus pars fuit, jure Portugalliæ meritò cedit.

Quæstio 4.

Ex §. 7. Verb. occidi jussit &c.

An defendi potest factum Alfonsi, puellam, quam filius sibi junxerat, morte multantis? R. In pluribus regnis & provinciis inconsulto Rege sive Principe primoribus nuptias contrahere vel filias suas elocare non licet, Myler *in gamalog. person. illustr. c. 2. th. 4. & seqq.* ubi simul leges & constitutiones diversorum locorum refert. *Vide etiam minister. Card. Richelii l. 3. c. 15. & in Reminiscentia Polit.* ubi de Gallorum consuetudine agit, & eam juri consentaneã esse tradit. Sanè enim & multum periculi & multum commodi creari regnis ac Principatibus ex nuptiis primorum, imprimis verò liberum, potest; omninoq; interest reip. ne à fœderum horum conjugalium arbitrio excludatur consensus Principis. Unde permulta sunt exempla Principum, qui neglectum consensus sui acerrimè vindicârunt: Ita ut Philippus Pulcher, Galliarum Rex, cùm intellexisset, Guidonem Dampetræ comitem Flandriæ filiam suã Philippam Eduardo Anglo despondisse, illã ad se vocaverit, venientẽ carceri mancipaverit, & viginti ejus pedissequas projici in sequanam,

ejus

ejus comites verò, triginta claros viros, ſuſpēdio interimi juſſerit, uti refert Bzovius *in Hiſtor. lib. 13. f. 136.* Quodſi ergo invito ſeu prohibente Rege Alfonſo Puella ſe junxerit ejus filio, ex rigido regiæ poteſtatis jure, vindicta defendi quidē poteſt: At ſanè factum hoc ſuppliciis quoq; Manlianis durius fuit. Equidem jure naturali conſenſum Parentum ad validitatem nuptiarum ex neceſſitate requiri non putamus.

Quæſt. 5.

Ad §. 11. Cogebanturque Mauris promittere reſtitutionem Ceutæ &c.

Q. An promiſſio vi metuq; extorta obliget? Reſp. Pollicitatione Ducis bellici non tenetur quidem Reſp. neque hæc obſidem tenetur redimere, niſi ipſa dederit. Verum tamen eſt, ipſum Ducem, qui captivus promiſit, licèt vi metuq; coactus, obligari: Ratio eſt, quoniam ipſa voluntatis eſſentia per vim ac metum non tollitur, quin potius ſtudium ipſius augetur, ac voluntas enixior, quoad iſtum actum, redditur. In tali enim actu diſtinguenda omnino ſunt voluntas & libertas: illa eſt conſenſio quædam, hæc facultas agendi, *juxta §. 1. Inſtit. de Jure perſ.* quæ latiſſimè differunt. Voluntatis enim ſubſtantia conſiſtit in quadam lubidine agendi (ut & ſentit Auguſtinus;) Hæc verò in agendi potentia; quæ licèt per vim metumque ablata ſit, eſſentia tamen voluntatis non tollitur: Hic, quando in negotio nihil aliud requiritur, quàm voluntas, tunc nihil deſideratur niſi ut illud, quod agitur, acceptatum fuerit; etſi vi metuq; extortum. V. G. in belli fœderibus, pace armis extorta, urphædis &c. Nam his caſibus voluntas libera non requiritur, quia ibi cogi aliquis poteſt, & facultas noſtra ſubjecta eſt legibus & armis, ut à magiſtratibus & vi armorum compelli qui poſſit: Et utrinque, parti bellantium

omnia

omnia licita ſunt, quæ ad minuēdas vires adverſarii, ſive ad victoriā, quæ eſt ſententia litis, conſequendā pertinent.

Quæſt. 6.

Ad §.12. verb. Tutrix conſtituta &c.

Cujus ſit, Regnis ac Principatibus tutores dare? Reſp. Non populi, qui, donec ſupereſt imperans familia, in eam omnem poteſtatem tranſtulit; non poteſt Anteceſſor Succeſſori, quia teſtamenta non ſunt juris naturalis, ut ſupra diximus: nec ille in hunc poteſtatem habet, quæ morte quoque ejus exſpirat. Quin cum ipſa quoque tutela juris magis poſitivi ſit, ac ſucceſſiones in regnis ex lege primæ conceſſionis dependeant, vix hoc jure naturali definitum videtur. Unde ingentes ſæpe motus, & imprimis in Gallia temporibus Caroli VI. phrenetici tantum diſſidium inter domum Aurelianenſem & Burgundicam ortum eſt, ut univerſam ferè Galliam conſumſerit. Tutiſſimū itaq; eſt, id lege Regni fundamentali decidi; quanquam, ſi id factum non fuerit, præcipuum ac potiſſimū ad tutelā jus ejus ſit, qui poſt pupillum ſucceſſioni proximus eſt. Ita Ampliſſ. Dn PRÆSES in Prælectionibus Jur. Nat. & Gent.

Quæſt. 7.

Ad §.14. Verb. Ab hoc commercio cum Indis inſtituto Portugallos excludere fruſtra conarentur &c.

An Sultanus & Reſpub. Veneta juſtè conati ſint Portugallos impedire à commerciis Indorum? Reſp. Neg. Nam Indi quidem poſſunt merces ſuas vendere, cui populo volunt, & ſic certam gentem à ſuis commerciis communi quodam conſenſu excludere, *contra Grot.* quoniam in ſuis rebus ac mercib9 ſuo jure utuntur, nec faciunt injuriam iſti populo, qui nil juris habuit in res & merces alterius populi. At Veneti & Sultanus prohibere Portugallos à cōmerciis Indorum

 dorum

Digitized by Google

dorum non potuerunt; quia nec illis in eas res ac merces plus juris eſt. Quin J9 commerciorum juris naturalis eſt, quod facto tertii auferri neqvit; uti nec navigationes aut tranſit9 terreſtres, qui ejusdē juris ſunt, impediri poſſūr. Neq. vero ceſſatio alicuj9 lucri cauſa juſta eſt impedendi commercii, quia, qui id allegant, nondum habent jus quæſitum in lucris illis, ſed demū per negotiationem id acquirunt & per induſtriam, quod jus aliis æque competit. Hæc controverſia olim acriter agitata fuit inter Hollandos & Anglos, cum hi illis tranſitū denegarent ad novū orbem.

Quæſtio 8

Ad §. 15. Verb. Societas Jeſu exorta & in Portugalliam invecta &c.

An Princeps teneatur promovere Religionem & cultum divinum in regno ſuo? Reſp. Affirm. idque apparet ex Eſaiæ *cap. 49. v. 23. Reges erunt tui* ſcilicet Eccleſiæ *nutritii, & Reginæ nutrices tuæ*: & *cap. 60. v. 10. Ædificabunt alienigenæ muros tuos, & Reges eorum miniſtrabunt tibi.* Hinc in Rep. primum eſſe debet curatio rerum divinarum *Ariſt. 7. Polit. 8.* Siquidem ea ad augmentum imperii maximè conducit ob benedictionem Dei, ceu pietatis mercedem promiſſam, & ſubditorum inter ſe ac Remp. concordiæ ſtudia: *Religio enim & timor Dei ſolus eſt, qui cuſtodit hominum inter ſe ſocietatem.* Lactant. 2. *Inſt.* 16. Unde Cicero *de Nat. Deor. c. fin. Eſt mihi tecum pro aris & focis certamen, & pro Deorum templis atque delubris, pro urbis muris, quos vos, Pontifices ſanctos eſſe dicitis, diligentiusque urbem Religione, quam mœnibus cingitis*: Et in orat. *de Aruſp. Reſp. c. 19* dicit, *Romanos non calliditate aut robore, ſed pietate & Religione omnes gentes nationesque ſuperaſſe: Atque ideò eorum Numine tantum imperium eſſe natum, & auctum, & retentum.* Laudatur quoque *Juſtinianus* Imperator hâc de causâ à *Giphanio & Gvinteo in ejus vita*, ſub titulo

titulo. Justinianus Magnus, edita, c. 15. §. 2. imprimis verò quod cum Sacerdotibus de Dei cultu rectè instituendo sæpius conservatus fuerit, *templumque S. Sophiæ Constantinopolitanum* tam magnificè exstruxerit: ubi *auctor Orig. Constantinopolit*: narrat: *Imperatorem illum, templi hujus fabricâ absolutâ, exclamasse, vici te Salomon! jussisseque, Regis hujus simulacrum e regione S. Sophiæ collocari mœsti & genus carpentis, quasi ejus ædificii mole ac pulchritudine Templum suum superatum doleret.*

ART. III.

De Statu hodierno Regum Portug. & quomodo hoc Regnum ad familiam Bragantinam pervenerit.

I.

NOtissimum est, per mortem Regis Sebastiani, in infelicissimo prælio Africano sine prole occumbentis, in regnum Portugalliæ successisse Cardinalem infantem Henricum, *Sebastiani patruum, Regis Emanuelis filium Cum verò is nec liberos, nec per ætatem spem liberorum haberet; atque ea de causa jam tum regni candidatos in medium prodire Procerum Regni ac populi gratiam pensare, & se vivo veluti hæreditatem ejus cernere animadverteret; voluit ipse singulorum, qui jus sibi successionis in regnum esse putabant, rationes audire, ac de causa statuere. §. 2. Inter hos erat* 1. Philippus *Rex Hispaniæ, tanquam natus ex Isabella, primogenitâ Emanuelis. 2. Joannes Dux Brigantiæ, nomine* Catharinæ, *uxoris suæ, quam ex masculo natam Regi Philippo ex fœmina nato præferendam esse dicebat. 3. Alexander Princeps Parmensis, nomine* Rainutii *primogeniti sui, nati ex Maria filia Eduardi & sorore Catharinæ natu majore. 4.* Antonius *Prior Cratensis, filius Ludovici fratris ipsius Regis Heinrici, qui se non nothum, ut vulgo*


 cre-

credebatur, sed ex legitimo matrimonio natum esse, asserebat. 5. Emanuel Philibertus, *Dux Sabaudiæ, qui ex Beatrice, altera Emanuelis filia descendit, &, licèt illa natu minor sorore sua Isabella, matre Regis Philippi, fuerit, regnum tamen, sed modestissimè, ambuit.* 6. Catharina Medicea, *vidua Henrici II. Galliarum Regis, jus à longinquo repetebat, omnesq; ab Alphonso III. Reges non jure successisse ajebat, quòd ex altera dicti Alphonsi Conjuge nati essent, quam is, priore superstite, à qua ipsa descendebat, superinduxisset.* §. 3. *Philippus & Catharina pari gradu Henricum contingebant: Catharina, tanquam filia Eduardi masculi, qui Isabellam Philippi Parentem procul dubio, ut masculus fœminam, exclusisset, Philippo se præferendam esse dicebat; & quemadmodum Eduardus, si adhuc viveret, excluderet Isabellam matrem Philippi, sic se quoque nunc, Patrem suum repræsentantem, excludere Philippum, qui repræsentabat Isabellam matrem suam; personamque succedentem quærendam è meliora linea, legibus ac consuetudine Portugallorum cautū esse, contendebat; Cui addebatur, Comitiis, Lamecensibus Ann. MCXLI. omnium ordinum consensu decretum esse, ut, licèt deficiente masculo fœminæ sceptrum deferri deberet, hæc tamen, si extra fines Regni nuptum abiret, jure Coronæ patriæ excideret, ne unquam Regnum teneret, qui Portugallus non esset; Atque adeò Isabellam Carolo V. elocatam nullum jus ad coronam patriam secum detulisse, vel in filium derivare potuisse; Catharinæ verò Regnum jam deberi, quia illa maritum haberet è Principibus Portugalliæ. Contrà Oratores Hispani, à Philippo Rege missi, fratre Henrici Eduardo semel mortuo, ejus rationem nullam habendam dicebant, sed tantùm gradum inspiciendum, in quo masculus fœminam excludit. Hæc ita primùm proposita, dein à celeberrimis Italiæ & Hispaniæ Jurisconsultis, etiam publicatis scriptis Bononiæ & aliis in locis, agitata sunt. Porrò Rainutius, Alexandri Parmensis filius, prætendebat jus Matris suæ defunctæ, quæ Eduardi filia primogenita,*

Digitized by Google

nita, Catharina Bragantina vero secundo genita erat, hinc multi in partes Reinutii inclinabant: sed Catharina Bragantina, Rainutium, utpote proximior, excludere videbatur. Antonius se legitimum probare, uti conabatur, non poterat, is tamen, quamvis Henrico summè invisus, populi favore sublevatur. Catharina Medicea per Oratores suos, ut proximè dictum est, non erubuit, omnibus inde ab Alphonso III. Regibus status quæstionem movere; verum, ut Thuanus lib. 65. ad ann. 1578. *ait, non spe potiundi regni, sed oraculi tristis, ut credebat, fallendi causâ: & cùm post tanti temporis lapsum metueret ne sibi præscriptio temporis objiceretur, &, quia temporis longinquitas obstabat illi, in possessionibus regnorum, præsertim violentis, nullo tempore præscriptioni locum esse contendebat. Pro intellectu hujus controversiæ serviet sequens schema genealogicum.*

Emanuel



§. 4. Doctores Conimbricenses numero tredecim, Henrico Cardinale, Portugalliæ Rege, adhuc vivente, & Doctores Bononienses in Italia & Perusini, multique alii sentiebant, Catharinam Bragantiæ Ducissam sine controversia veram & legitimam hæredem

esse regni Portugallici: Doctores Ticinenses, Philippi Regis subditi, in favorem Principis Parmensis palam judicare non erubuerunt. §. 5. Verùm potentissimus illorum erat Philippus II. Castellæ Rex, pro quo nonnulli quoque Dd. pronunciaverant, sed qui viribus magis fisus, conciliatâ sibi tota ferè Nobilitate Lusitaniâ, postulavit multis modis ab Henrico Rege, ut aut se Successorem declararet, aut nullum alium. Plebem vero Ulisiponensem sibi devincire non potuit, quin potius, habitâ in Cameræ, ut vocant, Ulisiponensi deliberatione, cui duo ex plebejo ordine intersunt, apud Henricum, ut ipse Successorem indigenam secundum regni leges nominaret, urgent & sumptus in viginti millia armatorum contra omnem metum potentiamque externam magnâ fiduciâ offerunt. §. 6. Anno 1579. Comitiis ad Calend. April. indictis regiis insignibus ac habitu ornatus in pegmate ad id parato sub Uranisco consedit. Alfonsus Castroblancus Sacerdos orationem habuit: variabant sententiæ. Alii, nulla dilatione interposita de regni successione decernendum censebant; Alii cautius procedendum, viamque juris servandam, ut, qui jus in regnum sibi arrogabant, citati audirentur. Alii, ut interim, si quid Regi humanitus accideret, gubernatores regni crearentur: Alii indecisa ac confusa omnia cupiebant Rex mediam viam prætulit: & è XV. ab ordinibus nominatis, V. electi gubernatores, eorumque nomina secreta in capsam conjecta, Ulysiponensi Magistratui tradita sunt. Nominati rursus XXII. ex quibus Rex XI elegit, qui, si Regem ante litem de Regni successione terminatam mori contingeret, cum plenâ potestate eam dijudicarent; Dux cæterique proceres, antistes ac cæteri ordines sacramento adacti caverunt, gubernatoribus à Rege creatis & ei, secundùm quem delecti judices pronuntiassent, tanquam legitimo Regi se pariturus. §. 7. Vocati Oratores suos mittunt: Causa agitatur. Jus Catharinæ Mediceæ, tanquam longiùs petitum, neque veris fundamentis nixum,

explo-

Digitized by Google

explosum. Antonius judiciali sententia illegitimis pronunciatur. Restabant Philippus Sabaudus, Bragantinus, & Ranutius: Hi dum singuli reliquorum causam acriter infringunt ac rationibus dejiciunt, omnium causa ac jus post tot velitationes incertius quoque factum fuit, & re infecta indecisaque singuli consultationes pro jure suo ad Pontificem & Principes Christianos miserunt: Pontifex se arbitrum offert inter Philippum & Henricum, quod Philippus respuit, & arbitrio opus esse negavit. Regni ordines, quasi extincta à masculâ prole & incerto succedentium jure, rem ad electionem deductam contendebant, idque sibi juris arrogabant. Philippus jus suum armis persequi parat, unde Henricus paulatim labare cœpit & tandem, plebis tumultum veritus, cum Philippicis Oratoribus in arcano transegit, additis conditionibus de certis dignitatibus, quæ in regno solis Lusitanis attribuerentur. §. 8. Anno 1580. prid. Kalend. Febr. Henricus moritur, re nondum cum Ordinibus regni transacta. Gubernatores in tabulis nominati Magistratum ineunt. Philippus ab illis, ex Henrici voluntate, Regnum sibi deposcit. Illi tantisper à bello abstineri petunt, dum Legati sui audiantur. Rex albanum è secessu suo ad exercitium mittit. Marchio sanctæ Crucis classi propositus. Gubernatores se ad defensionem comparant. Antonius à populo Rex acclamatus XIII. Kalend. Quintil. Gubernatores regni fugâ sibi consulunt. Elua aliæque urbes Philippicis apertæ. Antonius in urbem Ulisiponensem citra certamen receptus. Tandem prælio sub urbe certamen, in quo Antonius victus per urbem transiens aufugit. Urbs Ulisippo dedita. Antonius post multa frustra tentata, & miserum aliquot mensium latibulum, tandem in Galliam incolumis evasit. Albertus Archidux Austriæ, Portugalliæ Præfectus, & Rex in leges Portugalliæ juvare debuit. Sic Philippus II. III. & IV. Hispanarum Reges Portugalliam tenuerunt. §. 9. Sed Anno 1640. Portugalli jugum Castilianum

Digitized by Google

lianum denuo excusserunt, hâc nimirum occasione : Quoniam Philippus IV. nobilitatem Lusitanam contra Cataloniam rebellem arma capere judebat. Cùm enim nobilitas congregata & armata esset, occasionem quoque colloquendi & consultandi haberet, & angustias, quibus Hispaniarum Rex eo tempore implicitus erat, perspiceret, arripiunt animum, ab imperio Castiliano decedendi, & Ducem Brаgantiæ (qui authoritate pollebat & tertiam ferè partem Portugalliæ jure dominii possidebat) Regem eligunt & proclamant. §. 10. Tanquam memorabile allegant Portugalli, quod motus hujus initium factum sit 1. die Decemb. in quam tunc ex officio Ecclesiastico illud Pauli ad Rom. legendum incidebat : Fratres, hora est surgendi de somno, nunc enim proprius salus nostra est, quam cum crederemus. *Quâ die & Joannes, cùm antea Villaviciosæ, in urbe ditionis suæ degisset, Lisbonam ingressus fuit, solenniter postmodo coronatus die 15. ejusd. mens. Nec ulla urbs vel propugnaculum fuit, quin Hispani eo statim cederent, solo Castello S. Gionis excepto, quod in XV. diem restitit. Exteri tunc nihil adversus Portugalliam machinati sunt, sed potius Rex Galliæ statim milites & Duces belli expertos novo Regi subministravit ; Belgii item Ordines fœdere Offensivo & Defensivo se statim cum eo implicuerunt ; In Anglia quoq; Legatus Johannis, tanquam à Rege missus, exceptus fuit. Quin & Pontifex M. Urbanus VIII. post habitam cum Collegio Cardinalium deliberationem, Legatum Regis, Michaelem De Porto-Gallo, Episcopum Lamecensem, Romam venire & negotia illius Regni curare permisit, ex veteri more apud Romanam curiam in similibus casibus observato, quo dissidentibus de Regno Principibus, ejus, qui regnum possidet, Legatus admittitur, ne interim res sacræ in illo regno detrimenta capiant : vel generalius, quia in casibus hujusmodi controversiis Principibus moris est, possessionem sequi ; sed tamen à Pontifice benedictionem, licet sæpius petitam,*

Joannes

Digitized by Google

Joannes nunquam impetrare potuit, Hispano nimis id prohibente.
§. 11. Sic omnibꝰ Castiliæ Regis ministris intra octiduum regno exclusis, Joannes Dux Bragantiæ Regnum, quod Majoribus suis ereptum prætendebat, recuperavit, & Ann. 1644. prælio propè Montejum, sequente vicissim ad Villam Viciosam Castilianis ubique inferioribus gravissimam cladem intulit, atque has pacis conditiones ab iis obtinuit: 1. Ut Regi Portugalliæ à Rege Hispano Titulus Regis tribueretur, hujusque interventu ille à Pontifice benedictionem, hactenus semper dilatam, impetraret. 2. Ut loca utrimque occupata restituerentur, solaque Ceuta in Africa Hispano relinqueretur. 3. Ut in commerciis Portugalli iisdem in Hispania privilegiis gauderent, quæ Anglorum natio haberet, vel quæ ipsi tempore Sebastiani Regis habuerant &c. Obiit Joannes Ann. 1656.
§. 12. Eodem anno, quo Pater mortuus, filius ALPHONSUS VI. *die 30. Nov. minorennis adhuc coronatur, interim Matre tutrice regnum prudenter administrante. Quo tempore Hispani, cum ad montes Pyreneos pacem cum Gallis, excluso Rege Portugalliæ, adjectâq; expressâ conditione, ne Rex Galliarum Portugallis assisteret, iniissent, Portugalliam armis adoriebantur. Verum Portugalli vires alacres opposuerunt, & aliquot præliis Hispanos ceciderunt. Tandem Anno 1668. cùm Gallus invaderet Burgundiam, Hispanus pacem à Portugallis postulabat; quâ pacis transactione Rex Hispaniæ, jus, quod in Portugalliam sibi esse contendebat, cessit & remisit. Interea Alphonsus cum adolevisset, administrationem Regni in se suscepit, ac Mariam Franciscam Isabellam Ducissam d' Aumale ex Gallia, in Conjugem duxit. Sed cùm ipse nec regno propter judicii ac mentis imbecillitatem par, nec matrimonio aptus esset, utroq; excidit; Isabella monasterio se inclusit & separationem petiit ac impetravit. §. 13. Anno 1668. frater Alphonsi, cujus natalibus & virtutibus sceptrum debebatur, quique nunc felicissimè rerum potitur, Serenissimus* PETRUS *regnum adiit, pariterque ad petitionem populi, ex dispensatione summæ Pontifi-*

cis romani, Iſabellam ſibi aſſeruit, quæ filiam ei peperit Iſabellam Mariam Joſepham. Amor ingens ſubditorum eſt erga hunc regum ſuum, quos viciſſim ille redamat, iisque Parentis magis quàm Domini jure tam blandè juſteque imperat, ut in rege majeſtas ac amor, in ſubditis ſtudia & obſequia certent. reginâ ante aliquot annos fato functâ, jam ad alias tranſit nuptias, & communi genitum voto publicaque lætitia, & congratulante terrarum orbe, Sereniſſimam MARIAM SOPHIAM ELISABETHAM, *Sereniſſimi Principis Electoris Palatini* DN. PHILIPPI WILHELMI *filiam, connubiali fœdere auſpicatiſſimo nunc ſibi conjungit.*

Quæſtio I.

Ad §. verb. rationes audire, ac de cauſa ſtatuere &c.

An ipſe rex, dum vivit, in cauſa dubia ſucceſſionis ſit judex competens, an Populus? Variè equidem inter gentes id diſputatum agitatumque in ſummis orbis Imperiis fuit. In Perſarum Imperio litem de Imperio inter filios à Dario Patre & Rege, Herodotus; *lib. 17. in Princ.* à Darii fratre Artapherne, Juſtinus *lib. 2. cap. 10.* à populo Plutarchus *de Amor. frat.* deciſam refert: niſi id ita concilietur, quod alter mediatoris, alter patris ac regis vices geſſerit, populusq; id probaverit. Eadem quæſtio recurrens inter Cyrum & Arſicam ſeu Artaxerxem Mnemona à patre rege definita dicitur apud Plutarch. *in Artaxerxe*, quanquam poſteâ nihilominus res bello commiſſa fuerit. *Plutarch. ibid.* Cùm poſt Euphaëm Meſſeniorum Regem dubium eſſet, quis ex regia Æpyditarum domo ſuccedere deberet, ipſe Rex vivus cognoſcendi ea de re poteſtatem populo dedit, uti ex Pauſan. citat. Grot. *de J. B. & P. lib. 2. cap 27.* In Ægypto Ptolomæum filio natu minimo regnum contra jus gentium tradidiſſe, ejusq; rei populo rationem reddidiſſe,

ſe, ait Juſtin. *lib.16.cap.* In Anglia Eliſabetham in Senatu Ordinum Reginam declaratam, dicit Camdenus *in hiſt. Eliſ. part. 1. in princ.* caſumque Reginæ Scotorum Mariæ itidem apud Ordines tractatã, narrat idem Camdenus *part. 2. ann. 1571.* De ſucceſsione Henrici IV. cauſam prolixè agitatam fuiſſe in comitiis Pariſienſibus recenſet Thuan. *Hiſt. lib. 105.* Martino Rege Aragoniæ defuncto, cum plures de Regno acriter contenderent, partim JCti, partim Theologi arbitri electi, & tamdiu arci incluſi ſunt, donec de Rege convenit. Marian. *lib. 19. in fin.* Atque ex hac ipſa varietate potius apparet, neque Regi, neque populo, neque conventui Ordinum, hoc judicium proprio jure atque ad illum effectum competere, ut eo judicio partes efficaciter obligentur, niſi id jus eis reſervatũ, vel legitimè quæſitum, vel compromiſſum in eos fuerit, cum & ipſa cauſa ſucceſsionis in Regno & ipſæ perſonæ, quæ Reges ſe eſſe, ſummamque poteſtatem habere perhibent, alium in ſe judicem verum admittere, ſalvâ prætenſione ſuâ, nõ poſſint. In allegatis verò exemplis magis id obtinuit veneratione Patris aut Regis, quorum judicio ultro ſæpe ex pietate vel verecundia defertur; quam juris obligatione. Uti & in exemplo Angliæ ſucceſsio Eliſabethæ indubia fuit, nec ſententiã de Regno, ſed parendi promtitudinem, hoc facto Ordines declarunt. In Scotia & Gallia res vi & bello potius, atque inter civilia diſsidia, agebatur. In Aragonia communi placito in arbitros conſenſum fuerat. Atque in ſpecie noſtra Henricus in id intentus fuit, ut, rationibꝰ partium auditis, autoritate ſua, & perſuaſoria magis, quam decretoria poteſtate, litem, ſi poſſet, componeret: quemadmodum etiam, partibus acriter diſſentientibus atque ad alia remedia provocantibus, laudabilis hic conatus Henrici effectu caruit.

Quæſt. 2.

Ad §. 3. verb. Patrem ſuum repræſentantem &c.

An jus repræſentationis jure naturali quoque valeat in Regnis? Aff. idque non tantum in caſibus juris civilis, ſed omnibus, quibus ſuccesſio jure naturæ defertur. Atque huic fundamento innititur cauſa Henrici IV. in Gallia, qui patruo ſuo prælatus eſt. Ex eodem quoque principio dependet deciſio quæſtionis, toties armis ventilatæ & duellis quoque commiſſæ: An nepos ex primogenito præferendus patruo ſuo? Quod omnino ex hac ratione aſſerimus.

Quæſt 3.

Ad eund. §. Verb. Præſcriptio objici poterat &c.

An in poſſesſionibus regnorum præſcriptio locum habeat? R. Poſſe tandē objici aliquam præſcriptionem etiam in posſesſionibus regnorum violentis, ſive bello apprehenſis; quamvis multi inſignes Autores contrarium ſentiant, quorum præcipuum fundamentum eſt: quod uſucapio ſive præſcriptio ſit juris civilis, cùm natura non præſcripſerit temp9 30. vel 100. annorum, vel quodlibet aliud, ſed definitio illa certi temporis ſit juris poſitivi: imo tempus per ſe nullam vim effectricem habet, ſed eſt mera denominatio extrinſeca, ſcilicet quantitas durationis: ſed & quod in pœnam negligentiæ per præſcriptionem auferantur dominia, mere juris civilis, adeoque tota præſcriptio ejus juris non verò juris naturalis eſt. Principes autem jure civili non obligari certum eſt. Verùm, licèt illa 30. annorum vel alterius definiti temporis præſcriptio non ſit juris naturalis, nec Principes obliget, tamen, præſcriptionem aliquam jure naturali neceſſariam eſſe & dari, aſſero; quoniam imposſibile eſt, ſine præſcriptio-

ptione ullum dominium allegari ſeu probari poſſe: Conſequenter nullâ re jure uti poſſem, ſemper incertus de dominio. Eſt autem illud juris naturalis, ſine quo finem, ſive jus à Natura in hanc terram ſive res terræ nobis datum, conſequi non poſſumus; Unde dico, præſcriptionem valere in Regnis ſive inter Principes 1. quando aliquis posſidet rem, & probari non poteſt, ſive non exſtat memoria, quod à non Domino acceperit, quæ vera quædam præſcriptio temporis eſt, & ex temporis lapſu naſcitur. 2. Quando Dominus ſciens, rem ab alio teneri tanquã Domino, & cum potuit repetere, non repetiit longo tempore, tunc ſilentium pro conſenſu eſt, & videtur rem habere pro derelictâ. 3. Idem valet, licet nõ posſit repetere metu alterius potentiæ. Hoc enim caſu renunciare videtur juri ſuo repetendi, cùm potiùs vult rem in ſtatu ſuo relinquere, quàm arma ſubire & cum damno repetere. *(vid. controv. ad art. 2. §. 11. ſup.)* Quæ duæ poſteriores non ſũt ſpecies præſcriptionis temporis propriè dictæ, ſcilicet quæ naſcitur ex lapſu temporis, ſed ex tacito conſenſu Domini vim capiunt; uti hanc materiam optimè diſcusſit Excell. Vir, Dn. PRÆSES in Prælect. Jur. Nat. & Gent.

Quæſt. 4.

Ad §. verb. In favorem Principis Parmenſis &c.

An Doctores Ticinenſes jure pronunciarint pro Parmenſi contra Catharinam Bragantinam? R. diſting. Si meram juris naturalis rationem inſpicimus, dicendum videtur, jus illud ſuccedendi, quod ſoror natu major, Ducisſa Parmenſis Bragantina ab ipſo momento nativitatis habuit, cum omni ſuo eventu ac prærogativa, jure naturali devolutum fuiſſe in ipſius filium Rainutium, in eoque duraſſe, Matre etiam mortuâ; Atque ex hoc jure Ticinenſium ſententiam pro Parmenſi eſſe veriorem. Verùm, poſita lege

Digitized by Google

Portugalliæ, quòd extraneis sint præferendi indigenæ, nisi illi beneficium indigenatus seu naturalisationis, ut vocant, acceperint; in hoc casu cum Conimbricensibus statuo contra Ticinenses. Etenim per conclusum in Comitiis Portugalliæ Lamecensibus, fœminam extero Principi nubentem (quod prædicti Rainutii, Ducis Parmensis, Mater fecerat, à Regno excludi, statutum est.

Quæst. 5.

Ad §. 10. verb. Philippi Wilhelmi, Serenissimi Electoris Palatini, filiam connubiali, fœdere &c.

Quale matrimonium optandum & eligendum sit à Principe? Resp. Id apud Tacit. *Annal. in princ.* traditur, ubi, cum in Curia ageretur de nuptiis Claudii Imperatoris, & Uxore, tanto Principe digna eligenda; Vitellius tria respicienda publicè præfabatur. *Nobilitatem fœcunditatem, sanctimoniam.* Quæ omnia auspicatissimis hisce ac Regiis nuptiis, quæ Lusitaniam ac Palatinatum jungunt, apprime conveniunt. Sive enim de *Nobilitate* quæratur, quæ unquam in terrarum orbe nobilitas major fuit, quam Caroli Magni & prisci illius Salicorum generis, ex qua genuinæ originis luce ac radiis familia Palatina prosapiam ducit; hodieque generis sui claritudinem cum ea, quæ totius orbis summa ac maxima est, Austriacam dico, ejusque ac orbis capite, gloriosissimo ac invictissimo Leopoldo, triumphatore felicissimo, auspicatissima affinitate miscet. Sive de spe *fœcunditatis* deliberetur; sive denique de insigni *Pietate*: utraque conspicua fiet exemplo Serenissimorum Parentum: Illam ex tot illustribus eorum generationibus percipe, hanc ex moribus: fortes & boni creantur fortibus & bonis. Fœcunditatis omnia ubique gens Palatina præbuit, hodieque adeò præbet, ut quasi gentile Serenissimæ hujus familiæ bonum ea videantur. Probitatis verò

rò Pietatisque fidem facit tam sollicita Serenissimorum parentum educatio, quæ ex tanto numero in nullo Serenissimorum liberorum fefellit. Utriusque verò documentum omninm illustrissimum dat Gloriosissima Augusta, Regiæ hujus sponsæ soror germana, cum pariendi felicitate, tum incomparabili in Invictissimum suum Leopoldum obsequio. Sic igitur esto, sic erit Regia quoque hæc sponsa Serenissimo suo PETRO Serenissima PETRA, domusque ac Regni ipsius munimentum firmissimum.

Quæst. 6.

Ad §. eund. verb. Connubiali fœdere auspicatissimo nunc sibi conjungit.

At matrimonium, adhibitis solennitatibus solitis per Legatum contractum, plenum matrimonii effectum habeat? Aff. cum solus consensus in nuptiis omni jure, etiam Canonico, sufficiat. Vid. *c. 1. & pass. tot. quæst. 2. caus. 77.* Quæ itaq; huic consensui, qui solus sufficit, accedunt solennitates, non minuunt, sed augent consensus ac propositi constantiam, vinculum matrimoniale magis ligant. Unde in quibusdam Imperii locis tales solennitates id operantur, ut pacta dotalia vim & effectum habeant, perinde ac in consummato matrimonio. Quin conjugium hoc & legitimum ratum dici potest, *arg. c. 17. q. 1. caus. 28.* etsi voto solenni dirimi Jure Canonico possit *c. 3. & pass. X de convers. conjug.* Fuitq; ea quæstio agitata inter Maximilianum I. Imp. & Carolum regem Galliæ, in nuptiis Annæ Britannicæ, cum qua Maximilianus per Legatum, additis solennitatibus solitis, nuptias contraxerat.



Sectio



SECTIO II.

Exhibens Justitiam Belli & Pacis fundatam

In

Historia Politica & civili Regni Portugalliæ.

Ex Dammiano à Goes, Botero, Resendio, Marinæo Siculo, Nicolao d' Olieveria, Conestagio, &c. desumptâ.

ART. I.

De

Legibus fundamentalibus Regni Portugallici.

1.

P*Rima propè Regni Portugallici incunabula à legibus cœperunt, & pariter Reges ac Leges Portugallia accepit. Cum enim Alfonsus, Henrici Lotharingici filius, ut dictum* Sect. 1. Art. 1. *ante initam cum Regibus Maurorum pugnam Rex proclamatus à militibus, indeque prælio commisso feliciter hostes suos devicisset, prima à prælio cura ejus fuit, ut certis legibus novum Regum formaretur. Diploma igitur datum fuit in prima ejus congregatione, Ann. MCXLI. in quo leges latæ & actum fuit de præcipuis Regni aliisque majoris momen-*

Digitized by Google

momenti negotiis. Atque hoc legum diploma, prout editum invenitur apud Joannem Caramuelem Lib. 2. Art. 4. *antiquitatis suæ; quam ipsa neglecta Latinitas prodere videtur, veneratione apponendum hic duxi; idq; ita se habet. In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii, & Spiritus Sancti: Trinitas inseparabilis quæ nunquam separari potest. Ego Alfonsus Comitis Henrici & Reginæ Tarejæ filius, Magnique Alfonsi Imperatoris Hispaniarum nepos, ac pietate divinâ ad regium soliū nuper sublimatus, convocavimus Regni Proceres istos &c. §. 2. Et magna multitudo aderat congregata Lamegi in Ecclesia sanctæ Mariæ Almacave, seditq; Rex in solio regio sine insigniis regiis, & surrexit Laurentius Venegas Procurator Regis & dixit: Congregavit vos Rex Alfonsus, quem vos fecistis in Campo Auriquio, ut videatis bonas literas Domini Papæ, & dicatis, si vultis, quod sit ille Rex. Dixerunt omnes; Nos volumus quod sit Rex. Et dixit Procurator: Si ita vultis, date ei insigne. Et dixerunt omnes; demus in Dei nomine. Et surrexit Archiepiscopus Bracarensis, & tulit de manibus Abbatis de Laurbano coronam auream magnam cum multis Margaritis, quæ fuerat de Regibus Gothorum, & posuerunt illam Regi. Et Dominus Rex cum spata nuda in manu sua, cum qua ivit in bello, dixit: Benedictus Deus, qui me adjuvavit. Cum ista spata liberavi vos & vici hostes nostros, & vos me fecistis Regem & socium vestrum. Siquidem me fecistis Regem, constituamus leges, per quas terra sit in pace. Dixerunt omnes; volumus, Domine Rex, & placet nobis constituere leges, quas vobis bene visum fuerit, & nos sumus omnes cum filiis, filiabus, neptibus & nepotibus ad vestrum mandare. Vocavit citius Dominus Rex Episcopos, viros Nobiles & Procuratores Civitatum & dixerunt inter se: faciamus in principio leges de hæreditate regni. Et fecerunt istas sequentes. §. 3. Vivat Dominus Rex Alfonsus & habeat Regnum. Si habuerit filios varones (* id est, masculos) *vivant & habeant Regnum, ita ut non sit necesse facere illos de novo Re-*

vo Reges. Ibunt de isto modo. Pater si habuerit Regnum, cùm fuerit mortuus, filius habeat, postea nepos, postea filius nepotis, & postea filii filiorum in secula seculorum per semper. §. 4. Si fuerit mortuus primus filius, vivente Patre Rege, secundus erit Rex; si secundus, tertius; si tertius, quartus: & deinde omnes per istum modum. §. 5. Si mortuus fuerit Rex sine filiis, si habeat fratrem, sit Rex in vita ejus: & cùm fuerit mortuus, non erit Rex filius ejus, si non fecerint eum Episcopi & Procurantes & Nobiles curiæ Regis; si fecerint Regem, erit Rex: si non fecerint, non erit Rex. (NB Quisquis verò sit posteriorum verborum sensus, usu certè immotaq; Regni observantiâ omnes cognati suo jure succedunt, ut nunquam opus sit nova electione; Ita post mortem Joannis II. Sebastiani, Henrici II. semper successores suo jure regnum ambiverunt, nec unquam iis, etsi omnes ultra fratrum gradum essent, hoc jus oppositum fuit: frustraq; fuisset controversia illa, in Sect. 1. art. 2. exposita, si jus id dependisset ab electione.) *§. 6. Dixit posteà Laurentius Venegas, Procurator Domini Regis, ad Procurantes: Dicit Rex, si vultis quod intrent filias ejus in hæreditatibus regnandi, & si vultis facere leges de illas? & postea quam altercaverunt per multas horas, dixerunt: Etiam filiæ Domini Regis sunt de lumbis ejus & volumus eas intrare in Regno & quod fiant leges super istud. Episcopi & Nobiles fecerunt leges de isto modo. §. 7. Si Rex Portugalliæ non habuerit masculum, & habuerit filiam, ista erit Regina, postquam Rex fuerit mortuus de isto modo. Non accipiet virum nisi de Portugal: Nobilis, & talis non vocabitur Rex, nisi postquam habuerit de Regina filium varonem; & quando fuerit in congregatione maritus Reginæ, ibit in manu manca* (id est, sinistra) *& maritus non ponet in capite coronam Regis. §. 8. Sit ista lex in sempernum, quod prima filia Regis accipiat maritum de Portugalle, ut non veniat Regnum ad estraneos: & si casaverit cum*

Prin-

by Google

Principe est raneo non sit regina, qui nunquam volumus regnum nostrum ire for de Portugallensibus, qui nos suâ fortitudine reges fecerunt, sine adjutorio alieno per suam fortitudinem & cum sanguine suo NB. (Hanc Regni legem antiquissimam Anno MDCLXXIX cum cogitaretur de moderna infanta Portugalliæ desponsandâ. abrogatam esse, lego apud Becman. in Hist orb. terr. p. m. 494.) *§. 9. Istæ sunt leges de hæreditate regni nostri, & legit eas Albertus Cancellarius Domini regis ad omnes, & dixerunt: bonæ sunt, justæ sunt, volumus eas per nos & per semen nostrum post nos, §. 10. Et dixit Procurator Domini Regis, dicit dominus rex: vultis facere leges de nobilitate & justitia? & responderunt omnes: Placet nobis, sit ita in Dei nomine, & fecerunt istas. §. 11. Omnes de semine regis & de generationibus filiorum & nepotum, sint nobilissimi viri, qui non sunt de Mauris & de infidelibus Judæis, sed Portugallenses. Qui liberaverint personam Regis, aut ejus pendonem* (id est, Vexillum) *aut ejus filium vel generum in bello, sint nobiles. Si aliquis comprehensus de infidelibus mortuus erit propter quod nô vult esse infidelis, sed stat per legem Christi, filii ejus sint nobiles. Qui in bello mataverit* (id est, occiderit) *Regem inimicum, vel ejus filium, & gancaverit* (id est, acceperit) *ejus pendonem, sit nobilis. Omnes, qui sunt de nostra curia & fuerunt de antiquo nobilis, sint per semper nobiles. Omnes illi qui fuerunt in Lide* (id est, pugna) *magna de Campo d' ouriquio, sint tanquam nobiles & nominentur mei vasalli per totas generationes. §. 12. Nobiles si fugerint de Lide, si percusserit cum spata aut lancea mulierem, si non liberaverint Regem aut filium ejus, aut pendonem pro suo posse in Lide, si juraverint falsum testimonium, si non dixerint veritatem Regibus, si male falaverint* (id est, locuti sint) *de Regina, & filiabus ejus, si fugerint ad Mauros, si furtaverint de alienis, si blasphemaverint ad Jesum Christum, si voluerint matare Regem, non sint nobiles illi neq; filii eorum per semper. §. 13. Istæ sunt leges*

de nobilitate : & legit eas Cancellarius regis Albertus , & dixerunt : bonæ sunt, justæ sunt, volumus eas per nos & per semen nostrum post nos. §. 14. Omnes de regno Portugalle obediant regni, & Alvazilibus locorum qui fuerint ibi per (id est, pro) *nomine regum, & isti judicabunt per has leges justitiæ §. 15. Homo si furtaverit per prima vice, & secunda, ponant eum medium vestitum in loco per ubi omnes vadunt : si magis furtaverit, ponant in testâ* (id est, capite) *latronis signum cum ferro clado ; si magis furtaverit, moriatur ; & non matabunt eum sine jussu Domini regis. §. 16. Mulier si fecerit Malfairo* (id est, adulterium) *viro suo cum homine altero, & vir ejus accusaverit eam Alvazil, & si sunt boni testes, crementur cum igne, cum dixerint totum ad Dominum Regem, & cremetur vir de malfairo cum illa. Si maritus non vult quod cremetur mulier de malfairo, non crementur vir qui fecit malfairo sed vadat liber ; quia non est lex vivere illam & matare illum. §. 17. Si aliquis occiderit hominem, sit quis est ; moriatur pro illo. Si quis forciaverit virginem nobilem, moriatur, & totum suũ avere* (id est, omnia bona) *sit de virgine fforciata. Si non est nobilis, maritentur ambo, sive homo nobilis sit, sive non sit. §. 18. Quando aliquis per vim gancaverit* (id est, ceperit) *avere alienũ, vadat querelosus ad Alvazir & ponat querelam, & Alvazir restituat illi suum avere. §. 19. Homo si fecerit roxum* (id est, vulnus) *cum ferro moludo* (id est, acuto) *vel sine illo, vel dederit cum lapide vel ligno troncudo, faciat illum Alvazir componere damnũ & pechare* (id est, solvere) *decem morabitinos. §. 20. Homo qui fecerit injuriam Alvazile* (id est, Prætori) *Alvazaide, homini misso à Domino Rege, vel etiam Saime, si percusserit, assignetur cum ferro clado, si non pechet 50. morabitinos & componat damnum. §. 21. Hæ sunt leges justitiæ : & legit eas Cancellarius Regis Albertus ad omnes, & dixerunt : bonæ sunt, justæ sunt, volumus eas per nos, & per semen nostrum post nos. §. 25. Et dixit Procurator Regis Laurentius Venegas : vultis quod Dominus Rex*

vadat

vadat ad cortes Regis de Leone, vel de tributum illi, aut alicui personæ for (id eſt, præter) *Domini Papæ*, (Marian. l. 10. c. 20. ait, ſe neſcire, an hoc tributum ſolverint Luſitani primis temporibus, ſua autem & majorum ætate fuiſſe immunes. Caramuel verò in Philip. prud. L. 5 Diſp. 5. ſolviſſe inquit usque ad Alfonſ. III.) *& omnes ſurrexerunt & ſpatis nudis in altum dixerunt: Nos liberi ſumus; rex noſter liber eſt manus noſtræ nos liberaverunt, & Dominus rex; Qui talia conſenſerit, moriatur, & ſi rex fuerit, non regnet ſuper nos. Et Dominus rex cum corona iterum ſurrexit & ſimiliter cum ſpata nuda dixit ad omnes: vos ſcitis quantas lides fecerim per* (id eſt, pro) *veſtram libertatem; teſtes eſtis, teſtis brachium meum, & iſta ſpata, ſi quis talia conſenſerit, moriatur, & ſi filius aut nepos meus fuerit; non regnet; & dixerunt omnes; Bonum verbum. Morientur: Et rex ſi fuerit talis, quod conſentiat Dominum alienum, non regnet. Et iterum rex, ità fiat.*

Quæſtio I.

Ad §. 2. Verb. Nos volumus, quod ſit rex.

Cujus ſit reges facere? Reſp. 1. Liberi populi in ſe ipſum; quia ſummam poteſtatem plenisſimo jure habet, eamque transferre in Principem titulo regio vel ſimili poteſt; uti populus Romanus lege Regia omnem poteſtatem ſuam Principi & in Principem contuliſſe dicitur. *l. 1. ff. de Conſt. Princ.* 2. Superior poteſtas, cui imperiũ univerſalius competit, v. g. Imperator, poteſt inferius territorium erigere in Regnum, vel ex Principe inferiore Regem facere. Ità Otto III. Boleslaum, Poloniæ Principem, Regem creavit. Henricus V. Cæſar in Vratislaum, deinde Fridericus Barbaroſſa in Vratislaum, deniq; Philippus Cæſar in Premislaum. cum omnes ſaltem Boëmiæ Duces eſſent, Regiam dignitatem contulit, quæ in duobus prioribus tantũ perſonalis fuit, nec in ſucceſſores, qui Duces ſaltem fuerunt,

Digitized by Google

continuavit; at Premislaus ad ſucceſſores ſuos inſignia Regiæ dignitatis transmiſit. 3. Is quoque, qui cum ſumma poteſtate, ſed inferiore titulo, v. g. Comitis, Ducis, populo præeſt, ſibi ipſi Regium titulum, conſenſu ſaltem civium ſuorum, aſſumere poteſt. Ita Ariſtobulus primus ex Aſſamoneorum genere Regiam in Judæos poteſtatem cum Regio titulo induit. *Joſeph. Antiq. lib. 13. cap. 19.* Et inter Aragoniæ Comites primus Sanctius II. Anno Chriſti 901. vel, ut alii, Ramirus Regia inſignia ſuſcepit. Hac quoque ratione optima Alfonſus Portugalliæ faſces Regio jure omnium unanimi conſenſu, tum cùm patriæ libertatem ab hoſtibus vindicabant, adeptus eſt.

Quæſt. 2.

Ad eund. §. Verb. Et fecerunt iſtas ſequentes.

An leges Portugalliæ, quæ ſequuntur, juſtæ ſint? Reſp. Eas omnes ac ſingulas juſtas, nullamque naturali æquitati adverſam eſſe, defendimus.

Quæſt. 3.

Ad §. 7. Verb. Iſta erit Regina.

An fœminæ jure naturali ſuccedant in Regnis? Neg. ſed tum demum cum expreſſa conventione, aut conſuetudine receptum eſt, ut hic. Nam pace & bello rempubl. regere ac defendere naturâ virile officium eſt: quam in rem graviter diſſerit Cato apud Liv. *lib. 34. c. 2.* cum legem Oppiam contra matronas defenderet. Hinc, cum Cleopatra de regno Ægypti cum fratre Ptolomæo contenderet, provocavit ad ſpecialem Ægypti conſuetudinem, apud Lucan. *lib. 10.* ubi Cæſarem ita compellat:

Non

Non urbes prima tenebo
Fœmina Niliacas ; nullo discrimine secus
Reginam scit ferre Pharos.

Eandemque peculiarem consuetudinem in Britannis notat Tacit. *in vit. Agric.* quòd sexum in Imperiis non discernant. Prudenter igitur lege certa id hic cautum est.

Quæstio 4.

Ad §. Verb. Nobiles si fugerint de Lide &c.

Quibus de causis amittatur nobilitas? Resp. 1. Nobilitas amittitur per infamiam & vitæ turpitudinem, quia nulla potest subsistere vera nobilitas absq; bene meritis ac honestate; quin jure naturali nulla est nobilitas, quam quæ ex meritis ac virtute resultat. juxta illud Juven.

Nobilitas sola est ac unica virtus;

Neque illam recuperat, licèt ad meliorem frugem redeat, probrosus ille & infamis nobilis, nisi specialiter à Principe restituatur Resp. 2. Ingressus in monasterium sive assumptio ordinis Religiosi nobilitatem non tollit. Tiraquell. *in Tract. de nobilitate.* Licèt dignitas Regalis, Ducalis &c. per vitam monasticã amittatur, quia territorio cohæret. Resp. 3. Officium Procuratoris nec juré civili aliquid nobilitati derogat. Hodiernis quoque moribus idem omnino asserẽdum est, cùm in judicio camerali & aliis benè constitutis tribunalibus honestum omnino sit officium Procuratorum. Resp 4. Ars medicinæ, Astrologiæ &c. non derogat nobilitati; nam Scriptura asserit, medicum esse honorandum propter necessitatem; imo Christ9 dicit, se esse medicũ, & ipse multos sanavit; Et multa exempla Pontificum ac Regnum sunt, qui medici fuerunt. Resp. 5. Agricultura nobilitati non derogat, licèt nobilis ipse manum stivæ admoveat. Resp. 6. Artes sordidæ ac viles derogant nobi-

nobilitati, si nobilis per se exerceat; si verò per alios, non statim nobilitas intelligitur amissa: neque hic valet regula vulgaris, Quod quis facit per alium, hoc ipse fecisse censendus est. Quod si tamen nobilis deinde ab arte vili desistat, putant recuperari dignitatem; quod nobis non videtur. De aliis vid. Tiraquell. *Tract. de Nobil.*

Quæst. 5.

Ibid. verb. Neq; filii eorum per semper.

An ob delicta parentum puniri possint liberi? Resp. Neg. etsi Deus dicatur punire peccata parentum in multas generationes; Et in crimine læsæ majestatis à parentibus commisso priventur liberi nobilitate, bonis &c. Nam ad **1.** Dico, hanc non esse pœnam, sed instar calamitatis naturalis, adeoque huc non pertinet, nam pœna est privatio boni ob delictum, Liberi autem hoc casu nil deliquerunt; imò liberi illi non privantur jure suo per Deum, nam respectu Dei nil nostrum est: Ergò respectu liberorum pœna non est, sed merus casus sive sors humana, ut natura sua non plus habeant, quàm si pater ab initio pauper fuisset, vel ipsi bona naufragio amisissent, vel surdi ac cœci nati essent: illa enim cuiq; innocentissimo contingere possunt, quia omnia fiunt ex dispositione summi Arbitri, qui voluntate sua omnia moderatur. Ad 2. Dico, Hæc eadem applicantur aliquatenus ad leges humanas, v. g. in crimine læsæ majestatis; nimirum Princeps potest alicui ea, quæ ex jure quocunq; habet, auferre duobus casibus, scilicet vel in pœnam, vel in utilitatem Reipublicæ. Ergò licet liberi hoc casu nil deliquerit, tamen Princeps potest eos privare nobilitate, bonis exuere, patriâ expellere, ob utilitatem Reipublicæ, ut Respublica sit secura: pauperes enim tantùm latrant, non mordent. Sed quid de

infamia,

mia, an infames esse debent proditorum liberi? Resp. Affirm. scilicet debent esse infames quoad effectus civiles, quemadmodum spurii, lictores lictorumque liberi, etsi leviore maculâ notantur.

Quæstio 3.

Ad §.15. Verb. Si magis furtaverit &c.

An pœna mortis in furem possit constitui? Negat Scotus, eò quod inter bona temporalia & vitam hominis nulla sit proportio; sed affirmat Molina, cum quo sentio, quoniam non attendenda proportio inter pœnam & rem ablatam, sed proportio inter pœnam & malitiam, quæ judicio & arbitrio potestatis Politicæ in quolibet loco dignoscitur, & pro genio cujusque populi definitur, proindeq; pœna pro modo contumaciæ ad mortem quoque extendi potest.

ART. II.

De Modo gubernationis & administratione justitiæ, prout traditur ab iis, qui initio citati sunt.

I.

Portugalliæ regimẽ, non minùs, quam reliquarum Hispaniarũ, Regium est & Monarchicum, licet legibus Regni fundamentalibus (ut cæterorum regnorum Europæ) restrictum. Quin & cum consensu Procerum Rex leges universales condit, fœdera ac bella decernit, collectas novas imponit, ita ut summæ potestati nihil inde delibetur, cum & cætera Majestatis jura solus exerceat. Collationem beneficiorum in Portugallia habet Pontifex Romanus, jus nominandi verò est penes Capitulares: paucis tamen adhinc annis modernus Rex Portugalliæ à curia Romana impetravit, ut tertiã partem redituũ Episcopalium totius regni ex proprio arbitrio conferre possit cuilibet, V. G. ministris suis, aliisque bene meritis, eorumve filiis aut cognatis. §. 2. Provinciæ extraneæ ad Portugal-

 liam

liâ pertinentes, administrantur per Vice Reges, quia aliquãdo Archiepiscopali vel Episcopali dignitate sunt ornati, quò subditi eorũ dignitatem & autoritatem obedientiâ suâ magis venerentur; Pro-Rex ditionem Americanorũ residet in Brasiliæ: & India Orientalis suspicit Palatium Goanum. Minoribus vero Provinciis Asiæ & Africæ præsunt Gubernatores: qui partim Regi immediate, partim Proregibus subsunt: Ut plurimum vero Gubernatorum istorum officium non durat ultra triennium; quo saluberrimo consilio ac statuto Portugallia prudentissimum veterum Romanorum morem imitatur, plurimisq; periculis ac difficultatibus obicẽ figit. §. 3. Aula Regia Portugalliæ magno numero Magnatum, V. G. Ducum, Marchionum, Comitum & Nobilium, qui Regi sunt à servitio, repleta est. Ex Regni vero consuetudine Rex non nisi indigenas ministeriis suis aliisq; officiis adhibet; quæ consuetudo sæpe egestati Nobilium aliorumque honoratorum virorum consulit: Nam, cum sæpius statum conditioni ac natalibus suis convenientem sustinere non possint, literas provisionales, ut vocant, quibꝰ officium gubernationis in India, aliudve munus ipsis confertur, ex quo non exiguam pecuniæ summam sine cujusquam detrimento obtinere possunt, à Rege impetrant. vid. Sect. 3. Art. 1. §. 2. §. 4. Regiam autem aulam comitantur aliquot tribunalia, quorum rationem & ordinem ex usu sui temporis (quod recens est & in regimen Joannis IV. incidit, quem modernus Rex Serenissimus Parentem habuit) Autor Comment. de Regis Portugalliæ Regnis & opibus *his verbis recenset: Primum & principale appellatur* tribunal Relationum, *& domus supplicationũ, vulgo* Caza de supplicaçaon. *cujus officiales reliquos omnes authoritate superant; ii jam in civitate Ulisiponensi fixas habent sedes. Constat autem hoc tribunal decem judicibus, quos vulgò vocant Desembargadores, duobus Corregidoribus in causis criminalibus, totidemq; in civilibus; duobus judicibus, qui de causis Fiscalibus & vectigalibus coronæ cognoscunt; quatuor auditoribus, qui de sententiis criminalibus judicant*

dicant; uno Procuratore Fisci, binis vectigalium, uno judice Cancellariæ, uno Promotore, ut vocant, justitiæ; & quindecim Desembragadoribus extraordinariis, uno sollicitatore justitiæ, octo scribis appellationum, uno distributore, uno thesaurario depositorũ in curia, aliquot præconibus, & quadraginta ut plurimum Procuratoribus literatis; denique uno Præside, qui ex majoribus proceribus regni assumitur, & vulgo Regedor de Justitia *appellatur. Porro Desembargadores hi cognoscunt de omnibus causis, quæ per appellationem ad ipsos devolvuntur à tribunali Portuensi, quæ superant valorem centum mill. rees in bonis mobilibus, & octingenta mill. in bonis fundi, præterea de causis, quæ ad ipsos deferuntur à judice novarum assessionum tribunalis Portuensis, quæ prædictum valorem excedunt; deniq; de cæteris quæ ab aliis tribunalibus ad ipsos deferuntur. Habet denique hoc tribunal unum Cancellarium, qui sigillum suum omnibus sententiis appendit, & de erroribus scribarum, eorumq; stipendiis cognoscit. §. 5. Alterum tribunal appellatur* Caza de Civil, *id est, rerum civilium, quod cùm diu in civitate Olysiponensi fuisset, Philippus I. Portugalliæ Rex ad oppidum Portuense transtulit: auctis stipendiis non modò hujus tribunalis judicum, sed & superioris, ut cum majore integritate singulis justitiam ministrarent. Constat autem duplo pluribus officialibus quam primus: judicant hi de omnibus causis, quæ valorem centum mill. rees in rebus mobilibus aut octingenta mill. in rebus fundi non excedunt. §. 6. Est & tertium Tribunal majoris, quàm duo superiora, authoritatis, quod appellant* Desembargo de Paço, *id est palatii; quod constat uno Præside è præcipua nobilitate, quinq; Desembergadoribus, septem scribis, aliisque minoribus ministris; hoc tribunal semper aulam regiam comitatur, & supremam obtinet jurisdictionem. Nam & appellationes concedit iis, quorum causæ jam à superioribus tribunalibus judicate fuere, & causam in judicio à novem Desembargadoribus denuò cognoscēdã committit. Itemq; in omnium totius regni judicum actiones in-*

 quirit

quirit & coram se earundem rationem jubet reddere, si quis quam se ab ipsis injuste gravatum aut oppressum in judicio conqueratur. Idem & privilegia omnia, quæ à Rege petuntur, promulgat legitimos declarat, de adoptionibus & aliis donationibus facit fidem: famæ & honoribus restituit: judicio ordinariorum electione confirmat: possessiones rerum aut conservat, aut in easdem restituit: vindicias dat secundum libertatem, & ætatis privilegia concedit: homicidis & aliis condemnatis veniam potestate regia indulget: de cõtroversiis inter duo superiora tribunalia cognoscit, deniq; Rex communicat huic tribunali omnes casus justitiæ & jurisdictionis, quæ incidere solent. §. 7. Est & aliud Tribunal permagnæ dignitatis, licet non tantæ, ac præcedens, cujus judices cognoscunt & judicant de omnibus causis, quæ ad Coronam pertinent, sive Rex actor sit sive alii, qui quid a Rege in judicio petant. Prætereà est & Cancellarius major, *qui aulæ sive Palatii appellatur, qui jurisdictionem habet in omnes Curiæ scribas, & sigillum custodit, quod omnibus omnium tribunalium sententiis subnecti solet. Idem & donationes Regias sigillo munit. §. 8. In eadem aula quoq; Tribunal est Quæstorium, ipsi vocant* de Fazenda, *quod constat tribus Proceribus principalibus, qui* Veedores da fazenda, *id est, Quæstores ærarii appellantur, & totidem judicibus qui cojunctim cognoscunt & sententias ferunt de omnibus causis, quæ ærarium Regis spectant: nam & patrimonii regii, & redituum atq; vectigalium rationem habent, tam intra regnum, quam extra in ditionibus, quæ Coronæ sunt acquisitæ; & dant operam, ut non modo Regi de iis, quæ ipsi debentur, satisfiat, sed ut ipse quibus debet, satisfaciat. Illi autem Veedores maximæ sunt dignationis, tũ propter eminentiam earum causarum quas tractant, tum quia fere Consiliarii sunt Regis, eiq; non modo in ærarii rebus, sed & omnibus, quæ regimen regni principale concernunt, inserviunt. §. 9. Præter hæc Tribunalia est hic Consiliũ, quod vocant* Stat9, *in quo sunt personæ prosapia & nobilitate eminẽtes, sed numero indefinito, prout Regi placuerit,*

cuerit, in quo principalia negotia pertractantur, quæ regimen concernunt; & bellum juxta atque pacem. Ad eosdem & præsentatio pertinet omnium Archiepiscopatuum, Episcopatuum, Abbatiarum & Commendarum tam in ipso regno, quam in provinciis Coronæ bello acquisitis. §. 10. *Hujus tribunalis caput, appellatur Quæstor maximus, vulgò* contador major, *qui rationes inter inferiores rationales distribuit, qui ferè sunt duodecim; scribæ autem illis serviunt sedecim, & alii ministri inferiores. Hoc Tribunal in sumptuoso ædificio celebratur, quod* Caza dos contos *vocant.* §. 11. *Juxta hanc rationalium domum visitur alterum magnificum, quod vocant* Alfandega, *id est, domus publica mercium vectigalium. Id constat partibus quatuordecim, quarum una dicitur* Menza do despacho de Madeira, *ubi vectigal sive portorium solvitur pro materiæ, quæ foris importatur. Altera dicitur* Menza do despacho dot portos secos; *&c.* Vid. prædict. Aut. ex cujus tempore adeò recenti non multum fortè hæc immutata sunt.

Quæst. I.

Ad §. verb. Regium est & Monarchicum.

An Regnum Portugalliæ sit mere monarchicum, an verò mixtum cum Aristocratio, seu populari? Dubium id inde fieri posse videtur, quoniam *Art. præced.* §. 2. Alfonsus dicit: *vos me fecistis Regem & Socium vestrum.* Unde argui posset, regimen illud non esse merè monarchicum, sed Regem in societatem regiminis solummodo esse assumptum. Item ex eò, quod leges populi voluntate latæ, aliaque nonnulla Procerum consensu fieri dicuntur. Vid *h. Art.* 1. Verum his non obstantibus formam regiminis Portugallici esse tantum Monarchicam, dicimus: quoniam penes Regem arbitrium est & vis & norma jubendi. Illa verò populi Regem & Legem approbantis voluntas pertinuit ad

regnum ejusque statum constituendum: quippe in constituendo legibusque armando novo regno populus concurrebat; & Alfonso meliùs tutiusq; visum fuit, in tanto negotio consensum civium requirere, ut juris illa constitutio non modò ut lex superioris, sed & ut conventio publica universi regni valeret; sed nec desinere summam potestatem & regimen verè Monarchicum statuimus, etsi omnia cum consensu Ordinum fierent.

Quæst. 2.

Ad §. 5. Verb. Homicidis & aliis condemnatis veniam potestate regia indulget.

An jus aggratiandi locum habeat in homicidio? Neg. de homicidio doloso, quia id jure naturali capitale est, de quo nemo in terris dispensare potest. Hinc Israelitis, etsi liber populus, & cum summa potestate erant, prohibitum tamen est gratiam facere homicidis dolosis, *Deut. 29. v. 13. Num. 35. v. 32. & seq.* unde Ludovicus pius veniam, quam jam dederat, melius edoctus revocavit Heig. *p. 2. quæst. 24. n. 32.* Et Carolus V. cùm potestatem dispensandi daret, excepit semper hoc crimen. Atque hoc ita decisum est, cùm Ferdinandus I. Imp. Comiti de Titionibus rogatu Principum remittere supplicium vellet, Senatusque Mediolanensis, cui causam delegaverat, responderat, id in crimine dolosi homicidii fieri non posse, Successor ipsius Maximi II. rescripsit Senatui 1. Oct. 1564. ut citra dispensationem jure ageret. Vid Bod. *de Republ. l. 1. c. ult.*

Quæst. 3.

Ad §. 6. Verb. Sive Rex auctor sit, sive alii, qui quid à Rege in judicio petant.

An Rex, vel ipsius Curia, in causis ipsius Regis cognoscere & judicare possit? R. 1. Posse in causis publicis Regis, seu ipsius

Regni, quia hæc propria Regis causa non est, quia non Jure privato, sed jure officii ea res ad ipsum spectat. *arg. l. §. 11. ff. quand. appell.* adeoque non magis propria hæc ipsius causa, ipseque suspectus in ea videri potest, quam si magistratus cognoscit in causa, quæ ad ipsius officium seu jurisdictionem pertinet. R. 2. In causis verò privatis ipse quidem Judex non est; id enim repugnat; sed tamen nec judicem alium in causa habet, quam summo potestas nõ admittit. Solet igitur ultrò causam submittere judicio Curiæ suæ vel magistratus ordinarii, sententiamque sponte sequi, *juxta l. 4. C. de legit.* &c. Vel legem generalem dicere, unde causa propria simul legem accipit. Ita Tiberius in causa servi sui Parthenii, qui putabatur esse liber, legem generalem fecit, ut hoc casu hereditas *æquis partibus* dividatur inter dominum servi, & substitutum *l. 41. ff. de vulg. & pup. subst. vid. Disp. de Jud. in propr. caus.*

Quæst. 4.

Ad §. 8. verb. Qui conjunctim sententias fuerunt &c.

An si quis ex collegis absit, eorum jus pertineat ad præsentes?

Affirm. Ratio est, quia hoc ipso, dum absunt, neque contrarium denuntiant præsentibus, eorum sententiis subscribere videntur, ac proinde jus suum tacite in eos conferunt. Secus est, si plures Condomini sint, qui communẽ jurisdictionem habent v. g. tres Principes qui unum territorium possident: illi enim non faciunt collegium, nec habent unam omnes jurisdictionem in solidum, sed singuli jurisdictionis partem pro indiviso, adeoque major pars non prævalet, sed omnes adesse & consentire debent, potiorq; est conditio prohibentis. Vel uno igitur contradicente res in statu suo manet & nil fit; Ratio est, quoniam nemo potest disponere de parte alterius, quod tamen hoc casu fieret; Nam quævis particula, etiam minima, istiꝰ rei communis

est,

Digitized by Google

est, licet forte inæqualiter. Unde sequitur, eum, qui dispo-nit de parte rei communis, disponere de parte, quæ alterius est. At priore casu unum collegium omnium, idq; unius personæ instar est; quæ non potest secũ dissentire, sed necessario negotium ex majori suffragiorũ numero explicandum est; nisi vel singulorum quoq; jus, vel alia ratio sit, quæ impedit, quò minus numero votorum res cõmittenda, uti in Pace Westphalica *art.5. §. in causis*. de negotio religionis constitutum est.

Quæstio 5.

Ad §. verb. Provinciis coronæ bello, acquisitis &c.

An ea, quæ Rex acquirit bello, incorporentur coronæ, an verò familiæ suæ acquirat? Resp. Coronæ, cujus jure bellum gerit. Nã omnia, quæ bello acquiruntur, ei acquiruntur, qui jus belli habet: atqui non familia Principis jure privato; sed Respublica, cujus pars & caput est Princeps, qui eã repræsentat, jus belli habet Ergò Princeps quæ jure belli occupat, sibi non privatim, sed tanquam capiti Reipublicæ, sive ipsi Reipubl. cujus nomine bellum geritur, acquirit; quamvis expensis propriis vel operâ familiæ suæ bellum gesserit.

ART. III.

De Magnatibus, Reditibus, & Expensis Regni Portugalliæ.

Ex relatis à prædictis autoribus.

I.

Magnates Portugalliæ, titulum habentes post Regem, primũ & summum caput, sunt plurimi Duces, Marchiones, Comites, Barones, & familiæ nobiles multæ. Horum Magnatum census ingentes refert Marinæus Siculus, *qui quorundam reditus annuos 40000. quorundam 15000. Ducat. asserit. Sed omnium familiarum præcipua est Ducis Baraganzæ, de qua* Vasconellus *Soc. Jesu Sacerdos, Theologus Ulysiponensis in vita Joannis I. sic scribit,*

Joannes

Joannes, antequam regnum adiret, ex Agnete genuit Alfonsum, cui data uxor Beatrix, Nonii Alvari Pererii Equitum magistri unica proles, addito dotali comitatu Barcellensi & Ducatu Brigantino. Quod fuit Illustrissimæ ac penè Regiæ domus Brigantinæ seminarium, è quâ summis Regibus ac Principibus Christianis connubia expetita. Hæc ille. Quibus annecto ex Gonsalvi d' Avila Historiographi Regii Theatro Madriti *sequentia: Inter magnates Portugalliæ excellit Dux Braganzæ, qui habet octuaginta quinque millia Vasallorum, & belli tempore Regibus inservivit cum viginti millibus armatorum. Obtinet unam civitatem & quadraginta & octa oppida, & plurimos pagos, & disponit de quadraginta & quinque commendis, ut vocant, Christi & mille trecentis ministris justitiæ, multis Præturis, quæ ducentos & trecentos crusatos annuatim valent, & præsentat beneficia Ecclesiastica, quorum quædam valent duo milliæ, quædam duo millia & quingentos crusatos. Habet quingentos domesticos, magnam partem nobiles, & annui ejus reditus ascendunt ad centum & sexaginta millia crusatorum. Et Cluverius* in sua Introduct. *ait,* Reperii in Portugallia, quod haut facilè aliàs in toto orbe terrarum, Ducem scil. Brigantinum, cui, quod maximè mireris, tertia pars regni pareat.

§. 2. Ecclesiasticorum in Portugallia primipilus est Archiepiscopus Ulysiponensis, cujus suffraganei sunt Episcopus Ubedensis, Zamorrensis, Cividatensis, Leriensis, Badojozensis. Deinde sequuntur Archiepiscopus Bracarensis, & Eborensis; quibus subsunt Episcopus Conimbricensis, Lamegensis, Visensis, Almagrensis, Tidensis, Lugensis, Astrogensis & Morvedrensis. Præter quos sunt etiam alii, nimirum in India Orientali Archiepiscopus Goanus, qui dicitur Patriarcha Indiæ; uti, & Archiepiscopus Lerrensis, & tres Episcopi Cochinensis, Meliaporensis, & Macaensis &c. De illorum potestate & dignitate vide prolixius Gonsalvum d' Avila. Nicolaus Oliveira *reditus quidem*

G

dem annuos Ecclesiasticorum non recenset, sed summatim annotat, opes Ecclesiasticorum, æquales esse Secularium opibus. §. 3. *In Regno Lusitaniæ esse tres ordines Equestris, recenset* Johann. Gotofred. in Archont. Cosmic. *(alii addunt quartum, scilicet S. Joannis) Primi dicuntur* Equites sacræ militiæ Christi, *quorum signum est crux rubea, cum fimbria sive linea extrema aurea & argentea linea in medio: Hic ordo possidet ingentes reditus, & centum quadraginta Commendas habere dicitur; imo* Oliveira *commemorat hunc ordinē quadringentas quinquaginta quatuor Commendas complecti, & his quotannis à Rege solvi 236326. crusat. seu ducat. Portugallic. Secundus est* Equitum S. Jacobi, *qui pro insigni ferunt gladium rubrum: constat hic ordo sexaginta Commendis, quibus* ex relatione Oliveiræ, *quotannis 120000. (alii volunt 100000.) crusati impendeuntur. Tertius est ordo* Avisi, *quorum signum est Crux viridis; qvi ordo tenet quadraginta tres commendas, & 70000. crusati impenduntur. Ita* Oliveira; *qui addit, caput horum Equitum omnium esse Regem Lusitaniæ, ab eoque Magisterium cum reditibus teneri. Sunt in horum numero Viri Principes, Duces, Marchiones, & plures Comites: Nobilium ingens est numerus, qui & beneficio horum ordinum plus cæteris per regnum possident. Quantum capio,* inquit Boterus, *reditus Ecclesiastici & ordinum militarium ascendunt ad milionem coronatorum.* §. 4. *Proventuum annuorum Regni (quos tamen temporis ratio sæpè auget vel minuit) & expensarum summam exhibet* Hugo Linscotan. *Nicolaus d'Oliveira quoq; liberum edidit, in quo diligentissimè & minutatim explicat annuos Regni Portugalliæ reditus. Expensas & reditus in India Orientali Coronæ Portugallicæ subjectâ accuratè persequitur* Eduardus Menesius Prorex. *Ut verbo dicam, qui accuratius computaverunt (scilicet considerando reditus ipsius Regni, fructus Magisterii ordinum equestrium, proventus Guineæ & Brasiliæ, vectigal ex aromatibus*

& mer-

Digitized by Google

& mercibus Indicis perceptum) reditus Portugalliæ, pro suo tempore ad sexaginta auri tonnas extendunt. Sanè divitias Regis Portugal. ex eo æstimare licet, quod Joannes IV. filio suo Alfonso, fratri & Antecessori Regiæ Majestatis hodie imperantis, reliquerit 50. milliones, cum tamen Portugallia tunc tot bellis exhausta esset, hodiè verè in statu florentissimo & pacatissimo sit posita. §. 5. Expensarum annuarum summam extendunt Autores citati ad quatuor decies centena & octoginta millia ducatorum, calculumque ita subducunt. Ministris & administris justitiæ per totum regnum, mercedis vel salarii nomine dantur quotannis centum ducatorum millia. Proventus Teucarum (id est donorum & privilegiorum, quæ Rex velut feuda gratuita largitur certis hominibus hac lege, ut, donec ipsi vivant, his utantur fruantur, iis defunctis ad Regem caducitatis jure revolvantur) quotannis ascendunt ad trecenta millia ducatorum. In juras (ita vocant reditus annuos, quos vendit & in perpetuum hæreditario jure possidendos certis personis concedit, qui sicuti alia patrimonialia bona ad hæredes transeunt) annuatim expenduntur 150. millia ducatorum. Ad defensionem munimentorum locorumque Africæ quotannis insumuntur ducatorum quinquaginta millia. Ad conservandas quinque triremes perpetuas centum millia ducatorum. Ad sustendandas copias navales, quæ classes in Indiam navigantes, & inde redeuntes comitantur & tuentur, trecenta millia ducat. annua. In moradias, (ita vocant Mercedes & stipendia annua, quæ Rex concedit partim ministris suis, quos vocant Mocos da Camera, Cavaleiros Fidalgos & similes, partim aliis benè meritis, aut quorum parentes Regno aliquid officii præstiterunt, qui remunerari aliquando solent, ut appellentur servitores domus Regiæ, neque is exiguus æstimatur honor, & ut præstetur iis avena in equorum alimoniam, quotannis solvuntur ad octoginta ducatorum millia. In alimenta Regiæ, familiæ quotannis

annis expenduntur ducenda ducatorum millia. Ad conservandas arces & munimenta Regni ipsius ducenta millia ducatorum. Quæ omnia cùm facti sint, & sæpè mutentur, descripsimus ex fide eorum, qui supra allegantur.

Quæstio 1.

Ad §. 1.

An jura Majestatis in Magnates transferri privativè possunt? *Resp.* Ipsa jura Majestatis, & quæ universalia sunt, toti regno, ipsique Majestati cohærent, non possunt. At in certa regni ditione seu parte, jura omnia particularia istius loci cum plena potestate concedi iis possunt, quæ tamen hoc casu non fiunt jura Majestatis, etsi quædam vel omnia istius loci jura particularia ita data sint, ut ne amplius â superiore dependeant.

Quæst. 2.

Ad §. 1. Verba antequam regnum adiret?

An filius ante quæsitum à Patre regnum natus in jure primogenituræ præferatur reliqui postea natis? Aff quia primogenitum, cui regnum debetur, eum esse indubium est, isque præfertur cùm in quæsitis familiæ, tum in adquirendis. Atque ita obtinuit in Ottone I. Imperatore, cui frater Henricus hanc quæstionem atque inde arma movebat. Quanquam in Perside quandoque aliter evenerit, & in Ducatu Mediolanensi, lite inter fratres orta, ex hoc prætextu minor frater Principatum, teste Guicciardino, sibi arrogaverit. Vid. Grot. *de J. B. & P. lib. 2. cap. 7. §. 27. & seq.*

Quæst 3.

Ad §. 4. Verb. Vectigal ex aromatibus & mercibus Indicis &c.

An mercibus invectis & evehendis, vel personis transeuntibus, possit imponi vectigal? Affirm. quia nemo tenetur alteri con-

Digitized by Google

concedere aliquid gratis de jure suo, sed onus pro illo exigere & sub illo onere concedere potest. Atqui territorium illud, per quod transitur, & viæ istæ publicæ sūt Principis. Ergò. Dein magnis sumptibus eget defensio viarum publicarum: cum igitur sumptus illi necessarii sint, & non tantùm cives sed etiam advenæ iis utantur ac utilitatem inde percipiant, meritò hi cogi possunt ut aliquid conferant. Atque ita onus proportionatum illis imponi-
potest; an autem sit proportionatum onus, judicium pertinet ad principem, cujus conscientiæ relinquitur. Idem etiam obtinet, licet quis viam onerosam evitet & aliâ viâ utatur: nam jus illud vectigalis non inhæret isti loco viæ, sed est jus territoriale pro transitu qui fit per territorium, non verò pro eo, quod transeant istum locum, quoniam locus ille tantum destinatus est exactioni vectigalis, quæ, si evitatur cadunt merces in commissum. Ita Amplisf. PRÆSES *in Prælect. Jur. Nat. & Gent.*

Quæst. 4.

Ad §. 5. Verb. Ad sustendandas copias navales.
An valet societas navalis armata, quæ Admiralitas dicitur?

Disting. Ad nudam defensionem, ac propellandam vim Piratarum ac hostium aliorumque invadentium, simpliciter valet, nec opus est consensu Superioris, cum illa defensio sit juris naturalis. Ad lacessendos verò alios, vel occupandum loca aliqua, non valet, nisi ex mandato & concessione summæ potestatis, quæ jus belli gerendi habet, quod hoc casu illius potestatis nomine geritur, eique occupatu acquiruntur.



Sectio III.

Exhibens Justitiam Belli & Pacis fundatam

In

Historia Naturali Regni Portugallici,

Ex Botero, Relendio, Oliveira & Autore libelli de Libertate Portugalliæ, &c. desumptâ.

Art. I.

De

Potentia Regni Portugallici, ubi de eorum navigationibus & ditionibus ac fortalitiis extra regnum.

I.

Onstat, hoc Regnum olim longè frequentius habitatum fuisse quam nunc, quod exhauriatur regnũ frequentib9 navigationibus coloniisq; in remotissimas orbis partes, Brasiliam, Æthiopiam, Indias, Chersoneum auream, Moluccas insulas: in quibus adeundis quotannis infinitorum hominum fit jactura, pereuntibus nautis vectoribusque in mari variis calamitatib9; (olebant enim mitti illuc quotannis circiter sex millia virorum, quorum vix tertia pars redibat in regnum. Quàm popu-

populosa verò nihilominus sit hæc terra, indicio est, quòd Joannes Rex expeditionem in Africam suscepisse dicitur ducto ineam exercitu quadraginta millium. Et tempore Regis Sebastiani in Regno fuerunt numeratæ mille ducentæ cohortes peditum, delectu tantum facto ex Agricolis & Mechanicis, neque tamen omnibus: erant autem pleræque cohortes ducentorum capitum, quædam & trecentorum, & quadringentorum: Sed puta, omnes tantum ducentorum fuisse, efficient numerum ducentorum & quadraginta millium, quorum maxima pars infeliciter occubuit. Non facio hic mentionem equitum, quorum etiam ingens in Regno numerus, quia eorum ratio commodè iniri non potest. §. 2. Præterea Portugalliæ Reges magnificum quid habent præ aliis Regibus & Principibus; scilicet, quod in contenti vasallis suis & ministris donare possint valorem plurimum myriadum, datis saltem literis: consistit quippe beneficium hoc in largitione Gubernationum, & Capitaniarum, quæsturarum, aliorumq; munerum penè infinitorum; item in concessione & licentiis navigandi ad has aut illas regiones extra Regnum, puta in Indiam orientis, Bandam, Maluccos, Chinam, &c. quarum litterarum beneficio statim argentum ab aliis obtineri potest, sine detrimento Regis & subditorum. Ita Autor Libelli de Libertate Portugalliæ. *§. 3. Sanè populisimum esse hoc regnum, nemo poterit dubitare qui animum adverterit ad immensum numerum familiarum, quæ passim in colonias sunt deductæ, ad Insulas, sicut in totam Africæ oram ad extremos usque Asiæ fines, & in Brasiliam, quà latissimè patet; & præterea cogitandum, illos non minimam quoq; partem colonorum facere in America: Nam gens commerciorum avida & scientissima, etiam contra mandatum & voluntatem Castellanorum in intima & optima illius continentis & Insularum penetravit. Atque his tamen non obstantibus ipsum Regnum ita plenum est incolarum, ut neq; agrorum cultura usquam vacet, neq; de militium, nava-*

liumq;

liumque sociorum penuria conqueri possint: ita ut non modo suis sed & Castellanorum partibus agendis abunde hactenus satisfecerint. §. 4. *Supra omnia æstimanda veniunt opportunissimus situs ad mare, & nobilissimorum portuum copia, quales vix singuli aliis Regnis ut plurimum contingunt. Quo fit ut & populus navium fabricandarum industriâ & navigandi peritiâ excellat. Cujus rei navigationes in longe dissitas regiones, & summus periculorum contemptus faciunt fidem. Neque negandum est, Portugallos reliquis Europæis facem in ultimum orientem primos prætulisse. Unde facile cogitari potest, Portugalliæ Regis potentiam in mari non esse exiguam: siquidem tot classes continuo alit, quibus provincias suas longe lateque dissitas quasi colligat & protegit.* §. 5. *Cæterum potentia Regni Portugallici maximè æstimari potest ex ditionibus, Castris, fortalitiis & oppidis munitis, quæ Portugalli possident. Ditionis illorum cognoscere licet ex titulo quo Reges utuntur, de quo agetur infra. Scilicet Regnum Portugalliæ duobus Regnis comprehenditur,* Portugallia *in specie ita dicta &* Algarbia. *In* Portugallia *ipsa non multa fortalitia inveniens præter locum illum, qui dicitur* Port à Port, *& urbes ac castra in confinio Hispaniarum, quæ ante non multos annos sunt munita. Attamen Portugalliam non parum munit natura ipsa mentibus, & ad alterum latus Oceano, quibus sat tuta est.* §. 6. Algarbia *verò nomen est provinciæ sextæ Portugalliæ, quæ antiquis Turdetania. Hanc regionem (ut diximus Sect. 1.) Alfonsus sapiens Rex Legionensis dotis nomine Alfonso III. Regi Lusitaniæ, cùm eam paulo ante à Mauris evicerat, dedit. Ex quo tempore Reges Portugalliæ Algarbi Reges sese dixerunt. Inde titulus regni datus provinciæ.* §. 7. *Reliqui tituli Regis Lusitaniæ sunt ditionum in* Africæ, Asiæ, & Americæ *oris maritimis, quo nomine cùm mare Atlanticum intelligatur, hinc* Brasilia *imprimis comprehenditur. Horum ut ratio evidens sit, repetendum est*

est ex Sect. I. *quæ loca à Portugallorum Regibus subacta vel occupata sint. Quomodo verò Portugalli novam in Indias viam, novasq; regiones detexerint, atque in hoc itinere admiranda armorum victoriarumq; felicitate in Africa, Perside, India, & America tot insignia loca, commercia, divitiasq; & opes sibi adquisiverint, & tantum orbem hodieq; Imperio teneat, id sic exponit* Conestag. *Majores (scil. Regis Emanuelis) diu multumq; Africæ littus legentes propugnaculum* Arginense *ædificaverunt*, Insulas Hesperidas (*quas jam Capitis viridis insulas appellant*) *imperio suo subjecerunt, in Æthiopia* arcem S. Georgii (*quam Minam vocant*) *exstruxerunt*: Insulam Principis, & S. Thomæ, *& alias nonnullas Insulas minores circumvicinas occupaverunt. Præterea Portugalli initâ cum regno Congensi, & Angollensi (quorum incolæ sunt Æthiopes) amicitia, caput Bonæ spei, & insulam S. Laurentii prætergressi, è regione illius* Soffallam, Mozambicam, & Melinden (*quæ sunt continentis*) *partim amicitiâ contractâ, partim etiam vi, prout incolarum ingenii erant, adhibita in potestatem redegerunt. Inde sub Rege Emanuele mare rubrum prætererunt, & institutis* Socotoræ & Calahiatæ *commerciis, sinum maris Persici, & Indi fluvii ostium prætervecti, atq;* Indiam *ingressi, in regno* Calicuti, Cochini, *& locis circumvicinis pedem posuerunt: sed nusquam firmiùs, quam auspiciis Alphonsi Albuqverquy, celeberrimi Ducis in* Goa, *quæ est insula regni Accem, vicina regioni Idalmaci, & hodie est civitas Archiepiscopalis, caput omnium eorum regnorum, & sedes vice-Regis. §. 8. Atque inde postea progressi ulterius, hinc inde parva quædam propugnacula extruxerunt: quinimò etiam retrogredientes usq; ad ostium sinus Persici, Insulam* Armuzium *occuparunt, & in eo littore multa loca, ut* Chaul, Damane, Bazani, & Dio *subjugarunt. In Promontorio* Malabaris (*quod vocant caput Comeri*) *versus sinum Gangeticum, negotiantur, & arcem habent in Insula* Zeilan, *ubi nascitur optimum omnium cinamomum. Inde versus Orientem*

Digitized by Google

entem prætervecti eum, quem dixi, ſinum & oſtium Gangis, invenerunt alterum littus, in cujus Iſthmo (quam antiqui auream Cherſoneſum vocabant) occuparunt urbem Malacam, *diſtantem 25. milliaribus à magna illa Inſula Samatra, quæ & ipſa à multis pro Taprobane habetur. §. 9. Et inde progreſſi ulterius, partim negotiando in regno* Peru, *& aliis regnis in continenti ſitis: partim navigando, invenerunt minorem & majorem* Giavam, *Regnum Sinarum, magnum archipelagus inſularum* Molucarum, *unde cariophyllon, moſcocaryon, & multa alia aromata advehunt, denique Inſulam* Japponem: *& tandem eousque penetrarunt, ut obvios ibi habuerint Caſtellanos, qui regiones occidentales a Chriſtophoro Columbo Genuenſi, ſumptibus & auſpiciis Regnum Caſtellæ detectas, inveſtigabant: atque ita per harum duarum nationum navigationes univerſus mundus circumdatus fuit, & Oriens cum Occidente conjunctus. Occuparunt etiam tempore ejusdem Emanuelis è regione Æthiopiæ & capitis bonæ ſpei, provinciam quæ* Sanctæ Crucis *vocatur, & vulgò* Braſiliæ, *Regno Peru contiguam, quæ ſecundum littus in mille quingentorum milliarum longitudinem extenditur. De* Azoribus *inſulis, quas a Berencurio venditas obtinuerint, confer Thuan. L. 1. p. 25. L. 75. p. 737.* Hucusque Coneſt. *§. 10. Becman.* in Hiſtor. Orb. terrar. p. m. 471. *ſcribit, quod, cum Portugallia Hiſpanis ſubjecta eſſet, bello inter Hiſpanos & Batavos fervente, littorales partes Inſulæ* Ceylon, *Litus Coromandelicum, & alia* Malaceam *usque Belgæ ſua fecerint, qui & Cochinum Anno MDCXXII. occuparint, ſed pax inter ipſos & Portugallos facta ſit. Ubi addit, quod eodem Anno Rex Perſiæ, opera Anglorum adjutus, Portugallis* Inſulam Ormutz *eripuerit, urbeque diruta commercia in urbem Gamron ad continentem ſitam transtulerit;* Maſcateâ *quoque in Arabia ab Arabiæ Principe non ita pridem exuti ſint. Denique in Africa citeriori locus* Tanger. *Anno MDCLXII. cum Catharina infante*

Por-

Digitized by Google

Portugallica in Angli Regis potestatem concesserit. §. 11. Principes finitimos quod attinet, notandum, quod præter Principes amicos & vectigales sive tributarios, hæ ditiones limites jungant cum potentissimis inimicis; nimirum Rege Persiæ, & Cambajæ, qui jus prætendit in aliqua loca, quondam sua: uti & cum potentissimis Principibus Regni Decan, Calecuti Rege & Narsingæ. Licet verò hi omnes nervos intenderint ad recuperandum Dium, Chaul & Goam vicinaq; loca, nihil tamen, quod alicujus momenti esset, potuerunt efficere, sed Portugalli hactenus horum molitiones subverterunt. Verùm nullum graviorem inimicum habent Portugalli quàm Turcas, qui è mari rubro, ob opportunitatem oppidi Adenis, sæpe illos ex India pellere conati sunt, nunc à Rege Cambajæ invitati, nunc à propria ambitione incitati. Maxima classis fuit 64. navium, quam misit ad Dium, sed turpiter in fugam acta. Alteram item 27. navium ad expeditionem Ormuzianam destinavit, quæ ferè tota oppressa fuit & conquassata. In Ceylan nunquam multum habuerunt præter arcem Columbo; nam Rex, qui ibidem ipsorum vectigalis erat, Regno ejectus fuit à Singa Pandar Mahumetano: unde hic Rex exul, Portugallorum opibus sustentatus est.

Quæstio I.

Ad §. 1. verb. quorum maxima pars infeliciter occubuit &c.

An DEUS victoriam belli semper tribuat parti justitiorem causam habenti? Resp. Quod Actio judicialis inter privatos, id bellum quidem est inter Principes, quibꝰ alius modus juris recuperandi nõ est, quoniam nullum judicem superiorem habet. Itaq; victoria est quasi sententia litis, quæ deciditur à Deo summo rerum arbitro, in cujus potestate est belli alea. Ille tamen sententiam fert victoriamque largitur non semper ex jure hujus negotii, sed fere quemadmodum dicit Triphonius de deposito à prædone fa-

 cto;

cto; & *in l. 31. §. 1. ff. de depos.* ait, duo esse in deposito tali, jus contractus cum latrone initi, & jus totius negotii, quod ex omnibus personis, quæ continguntur, constat; si contractũ inspicias, debet depositum restitui prædoni; at si æquitatem totius negotii consideres, debet depositum hoc restitui Domino verò. Eodem modo res se habet in victoria, quæ fortè alicui contingit, qui bellum injustum suscepit. Nam sunt in belli causa duo, scilicet justitia causæ præsentis, & qualitas seu justitia suscipientis bellum: Hinc in bello si consilium Divini Numinis inspiciamus, Deus illud judicium sæpe fert non de causa belli tantùm ob quam homines hoc susceperunt, sed de tota injustitia populi totius, vel de ejusdẽ innocentia. Ideò sæpius fieri potest, ut ei qui in hoc bello habet justam causam, tamen propter alia peccata victoria denegetur. Interea tamen, quantam vim habeat in bellis justitiæ conscientia, passim ostendunt historiarum scriptores, qui victoriam sæpe huic causæ præcipuè adscribunt: Inde proverbium illud: rarò sospitem redire illum, qui injusta arma sumserit. Nec movere quenquam debent prosperi successus iniquarum molitionum: Satis enim est, quòd causæ æquitas suam quandam eamque magnam habet vim ad agendum, quanquam ea vis, ut in rebus humanis accedit, sæpe aliarum causarum oppositu ab effectu impeditur.

Quæst. 2.

Ad §. 4. verb. Etiam contra mandatum &c.

An liceat negotiari in alieno territorio, invito Domino territoriali? Resp. Neg. Nam transitus quidem omnibus hominibus jure naturali competit, adeoque & omnia, sine quibus commodè transiri non potest, licita sunt: verum sub jure transitus non continetur, ingredi ita territorium, & negotiari, ut ibi aliquid vendere, vel operari invito Domino liceat. Itaque Princeps potest jure territorii prohibere, quia à jure Imperii (uti dictum) excipitur tantùm jus transitûs: in

in cæteris itaque exercitii seu territorii usibus non exceptis potest Princeps jure Imperii extraneos arcere, licet extranei illi velint vectigal solvere.

Quæstio 3.

Ad §. 11. verb. Rex exul &c.

An Rex regno ejectus retineat Majestatem? Resp. Si ejectus sit à tyranno privato, tunc Rex ejectus retinet summam potestatem, licet populus in illum tyrannum consenserit. Nam populus suâ pactione non potest jus quæsitum Regi auferre nec quicquam disponere in præjudicium juris Regii: cùm enim populus jus suum semel transtulit in Regem ejectum, id quod non habet, in tyrannum transferre non potest. Dixi, si ejectus sit à Tyranno privato; qui non habet jus belli. Secus est in aliquo Principe, qui jure belli alterum Principem ejicit: nam quoniam alium judicem non habent, bello res decidenda est, ideoque Cives belli victoriam sequi debent. Idem est si civitas in duas partes recedat, atq; adeò arma in propria viscera vertat, ac bellum civile gerat: tunc enim disceptatio est inter duas summas potestates, seu potestatem summam prætendentes, & bello res decidenda est, quia sunt partes æquales & neutra pars judicem admittit: adeoque neutra pars habet tunc jus in alteram vel ejus adhærentes, donec per victoriam uni parti summa potestas adjudicetur. Unde sequitur, quod primo illo casu (scilicet ubi tyrannus privatus est, qui regnum occupavit) Rex ejectus mandare possit civibus, ut tyrannum occidant vel ejiciant; cui si cives possint, parêre tenentur; secùs duobus posterioribus casibus.

Quæst. 4.

Ibid. in verb. Rex ipsorum vectigal erat.

An dari possit regnum vectigale cum summa potestate? Aff. nisi in signum subjectionis solvatur *vid. Grot. lib. 2. cap. 3. §. 21. 22.*

Digitized by Google

Art. II.

De
Provinciis & Urbibus præcipuis Portugalliæ, ubi in specie de Ulyssippona.

I.

Dividitur tota Lusitania in sex provincias, quarum prima vocatur Alentejo, *id est, Transtagana, longa leucas 36. lata 34 à Cimes pâgo ad civitatem Livas & Olivencam. Hæc Provincia omnium est fertilissima: quocirca, uti Romanæ Reipublicæ horreum antiqui scriptores Siciliam appellarunt, unde Romana Civitas alebatur, ita Regni etiam Lusitani horreum jure dicemus Regionem Transtaganam. §. 2. Secunda est interamnensis seu* Duri Miniensis *à Porto ad Valencam, longa leucas 18. lata 12. Hæc licet tam exigua sit, tamen centum triginta habet monasteria satis opulenta, & etiam M. CC. LX. Ecclesias parochiales præter Bacarensem metropolitanam & Episcopalem Portuensem, aliasque collegiatas quinque: habet pontes CC. lapideos, quinque millia fontium perennium & sex portus maritimos. Præter amplissimos reditus qui supra millionem aureorum Ecclesiasticis solvuntur, colligit ex hac Provincia Rex in singulos annos viginti supra centum aureorum millia, totidem privati Domini ac Dynastæ. Est itaque hæc regio tam hominum quam rerum omnium, quæ ex terra gignuntur, opulentissima; nam & conjugia eximiâ liberorum fœcunditate, ac crebrò vigesimâ quintâ prole exuberant, & de rerum abundantia apparebit ex* Art. 3. § 5. infr. *Venationi quoque & aucupio est maximè opportuna; alitibus enim sylvarumque animantibus abundat, neque aliunde canes venatici, aut volucres rapaces magis sunt quærendæ; utrumque enim nec ignobile tellus præstat. Ita denique regio ista aspectui est jucunda hominumque usui commoda*

moda, ut eam non immeritò terrestrem Paradisum possimus nuncupare; in illa siquidem toto anno vernantes flores invenies, quasi ver primum semper efflorescat; unde Strabo Lusitaniam solum fortunatum appellavit. §. 3. Tertia appellatur Transmontana *à fluvio Tamaga ad Episcopatum Mirandæ longa 30. lata 20. leucas. Hæc regio nimis arida est, uti fermè solent esse feraces auri regiones, & idcirco aliquæ ibidem sunt a transactis ætatibus aurifodinæ; frumenti tamen, vini, ac pecudum satis ferax, ut sibi non tantum, sed conterminis quoque victum præbeat. §. 4. Quarta provincia dicitur* Beira *à Coymbra ad Guardam continens totam regionem, quam vocant Ribeira de Coa, longa 36. lata 33. leucas numerando ab Aveiro ad Tourones. Est regio amœnissima, ob fluvios, qui eam pluribus locis interseсant; frumentum ac vinum, quod suis incolis sit abunde, tellus profert. §. 5. Quinta appellatur* Estremadura, *ad mare à Cascacis ad Mondego, in continente autem ab Abrances adpontem Coimbra; longa 35. lata 18. leucas. Hæc provincia (cujus caput est Ulysippo) feliciorem in Lusitania tractum occupat, in quo omnia, quæ terra profert, visuntur laudatissima. §. 6. Sexta est regnum Algarbiæ à Ceixe ad Castromarinum, è regione Aijmonty, longa 28. lata 8. leucas. Hæc pars Lusitaniæ ita ficetis est occupata & vinetis, ut aliquando à vicinia victum exigat, si annorum minus faveat clementia. Abundat vino nobili, & oleo, quæ simul cum fico, uva passa, amygdalo, thyno, ac Sardania (ea communis est merx istius regionis) in exteras regiones transferuntur. §. 7. In Genere. Regni Portugalliæ ambitus esse censeturleucarum sive milliarium Hispanicorum DCCCXXCV. Præcipuæ civitates (quod nomen cæteris oppidis non attribuitur, nisi sint urbes capitales vel Episcopales, vel præcipuis privilegiis ornatæ) sunt* Olysippo, Conimbria, Lameca, Visæum, Miranda, Portus, Portalegra, Leria, Guarda, Elva, Bragantia &c. *In Portugallia invenies*

veniens oppida CDLXX. in quorum numero pagi & vinculi rusticorum non computantur. §. 8. *Totius Regni caput est Ulyssipona, vulgò Lisbona: quæ* in Theatro Madriti, *sic describitur. Ulyssippo est regnum per se, ad quam conveniunt variæ nationes ad commercia exercenda. Obtinuit in longitudine duas leucas, à conventu Belen, ad Monasterium S. Benedicti vetus: Numerat ædes viginti septem mille, oppidanorum numerus nunquam ritè potuit subduci: Curiosi tamen numerant quingenties mille. Horti & prædia superant septem millia. Obtinet quadraginta parochias & 3388. fratres sacramenti; qui affuere processioni solenni habitæ Anno 1619. cum Philippus tertius ibidem esset. Habet viginti & quatuor monasteria religiosorum, & in iis 1465. viros: Decem & octo conventus monialium, in iis 1833. religiosas, quatuor Xenodochia, unum Hospitale, & Domum misericordiæ, in quâ anno 1618. ægri è variis morbis curati 11150. & factæ sunt missæ 28272. Ejus reditus nonnunquam ascendunt ad triginta & quatuor millia crusatorum. Jungunt connubio orphanos, redimunt captivos, auxiliantur pauperibus & peregrinis: sepeliunt defunctos in carcere & mari: absolvunt debita incarceratorum ob æs alienum: deniq; vix quicquam simile videre est in orbe Christiano.* §. 9. *Hanc urbem Alfonsus I. Rex ita Mauris ademit. Cùm Christianorum exercitus reversus è Palæstina post captam Damiatam, sive Pelusium, Ægypti urbem, navigaret Oceanum, accidit, ut tempestate coacti, in Portugalliæ littora appellere, inque terram descendere cogerentur. Obsidebat tunc Alfonsus Ulyssipponem, sed non magna cum spe potiundæ urbis. Commodum autem advenerant naves Germanorum, quæ redeuntes ab Asia per fretum Gaditanum ingressæ Oceanum Septentrionem petebant. Horum tam bonâ & forti opera usus est Alfonsus, ut non tantùm ceperit hanc urbem, sed & multa alia insuper loca in suam potestatem redegerit.* §. 10. *Ne autem ingratus esset pro tam opportuno auxilio Rex,*

hunc

hunc nationi Germanicæ honorem habuit, ut eam particularibus æternisque donaret privilegiis, quibus gauderent præ regni Lusitanici indigenis; proposito Edicto irrevocabili, ut omnes Germani, qui imposterum vellent habitare aut negotiari in regno Portugalliæ, liberi ac immunes essent ab omnibus vectigalibus portoriis, censu, contributione, subsidiis, non ipsi solum eorumque uxores, liberi, domestici, servi; sed & bona ac domicilia eorum omnibus exempta oneribus: utque ipsis liberum esset, non obstantibus regni legibus sumtuariis, vestire se quomodocunque placuisset, ornareque corpus auro, margaritis, gemmisque, quod indigenis, Lusitanis nequaquam permissum est, quos lex vestiaria intra mediocritatis & modestiæ compingit cancellos. §. 11. Tertiò, ne Germanus ullius judicis sententiæ stare cogeretur, excepto solo crimine læsæ Majestatis, & quidem in ipso hoc crimine, ne ab alio quàm suo judice judicaretur, qui appellaretur judex Germanorum. Quarto, ut Germani immunes essent ab omnibus officiis servitiisque vel regno vel Regi præstandis, ad quæ nolentes nemo cogeret: sed ne quidem contributio aut subsidium pecuniarium ab iis exigeretur, etiamsi ipsa regni necessitas aut defensio status id postularet, ad quam tamen rem omnes cives Lusitani multis modis obligati sunt. Quintò, ne domus Germanorum, sive eas locatas haberent sive emptas, assignarentur unquam usibus aut servitiis Regis vel aulæ ejus, cui quidem oneri cætera civium domicilia subjacent. Postremò, ut facientibus inter per Lusitaniam Germanis omnes Hospices & pandochei summâ promptitudine ministrarent, ante cæteros pro ipsorum pecuniâ inservirent, eosque honorificè exciperent. His aliisque privilegiis Germani non tantum in præsens tempus exactè observatis plenè gaudent, sed quotannis propemodum utuntur auctioribus, cùm ipsi Germani vicissim non desinat de Lusitanis, quibuscunque possunt modis, benè mereri.

Quæst. 1.

Ad §. 2. Verb. Venationi quoque & aucupio.

Jus venandi ad quem jure naturali pertineat? Resp. Divisis occupatisque territoriis summæ potestati id tribuendum, quippe ad quam pertinent omnia in territorio jura, quæ nondum sunt privatis acquisita; potestque illa eam in rem, uti de aliis juribus, quæ nondum privatis quæsita sunt, eorumq; acquisitione, leges facere. Cum igitur leges Romanæ & Justinianus jus venandi omnibus jure naturæ tribuunt, nihil aliud per jus naturæ intelligitur, quàm jus Gentium secundarium, seu positivum, quod Princeps in suo territorio abrogare potest.

Quæst. 2.

Ad §. 9. Verb. Ut non tantum ceperit hanc urbem, &c.

An copiis auxiliantibus cedat pars prædæ sive urbis quæ capitur? Resp. Neg. sed capta ei Principi solùm cedunt, cujus auspiciis bellum geritur, (alias germani ex hoc capite possent prætendere jus in Olisſibonam) quoniam is tantùm ex bello acquirit, qui habet jus belli. Dein omnia in bello sunt instrumenta Principis, qui bellum gerit; satis autem notum est, quòd ei acquiratur, cujus nomine quis acquirit. Ergò jure naturali quicquid in bello acquiritur, hoc Principi acquiritur. cujus auspiciis bellum geritur, & hoc jus tamdiu obtinet, donec appareat Princeps inde aliquid concessisse militibus quod tunc habent milites non ex jure naturali, sed ex donatione Principis. Sic olim Principes concedebant militibus res mobiles, quas acquirebant, quod consensu communi plurium gentium introductum, & tandem dictũ fuit jus gentium, estq; id jus prædæ, quod hodiè non ubiq; ampliùs obtinet. Solent verò hodie pacta erigi, quid milites retinere debeant, quid verò ad suos officiales ferre: Solet tamen etiã, quod quis cum periculo suo capit, id ei ex liberalitate seu humanitate relinqui, ad animandos conciliandosq; milites.

Quæst.

Quæst. 3.

Ad §. 10. Verb. Propoſito edicto irrevocabili &c.

An privilegia ab Anteceſſoribus data poſſit Rex Succeſſor revocare? Hæc valde agitata quæſtio eſt, eandemque propè cauſam habet cum illa: An etiam Succeſſores obligentur fœderibus & pactis Anteceſſorum? Ratio dubitandi eſt, quia par parem obligare non poteſt. E contra ex altera parte dubitandi ratio eſt, quod pacta, fœdera, & privilegia plerumq; non reſtringantur ad vitam Principis fœdus ineuntis; ſed etiam intentio confœderatorum illuc tendat, ut & ſucceſſor obligetur. Sed Reſp. 1. in ſtatu Reip. Ariſtocratico & populari, etſi primates ſeu Duces moriantur, manet tamen obligatio in ſucceſſoribus; Ratio eſt, qui Principes ſeu Duces illi non habent jus imperii, ſed imperium penes Remp. vel Senatum eſt; Reſpublica autem manet eadem idemq; Senatus, nec mutatur, etſi Duces illi ſeu Principes moriantur. V. G. Reſpublica Veneta, etſi Venetorum Dux moriatur. obligatur adſervanda fœdera, quia hic non magis imperiũ habet in Rep. Veneta, quàm ſinguli Senatores. Reſp. 2. In regnis verò ac Principatibus diſtingvendum eſt, num fœdꝰ ſeu conventio in facto perſonæ conſiſtat, v. g. de mittendis auxiliis, colendâ amicitiâ, &c. & hoc caſu, ſi promiſſum ſit intuitu atq; affectu perſonæ Principis, Succeſſori ejus non debetur; ſecus ſi affectu & contemplatione Principatus; An vero non in facto, ſed in translatione rei vel juris conſiſtat? & hoc jus ſemel ritè quæſitum nunquam auferri poteſt, ſed ad ſucceſſorem quoque tranſit. Tutius tamen eſt, ad lites ambiguitatesque quin & malitias hominum evitandas, renovare fœdera & pacta cum Succeſſoribus. Reſp. 3. Nequidem ipſe Rex, qui promiſit, tenetur, ſi appareat, fœdus id Reipub. noxium valde & periculoſum eſſe. V. G. ſi plus æquo ærarium eo exhauritur, quoniam fœdus

 tale

tale excederet terminos gubernationis seu administrationis; Regnū enim, ejusq; jura non sunt in liberrima potestate Principis, sed sub ejus tantùm administratione, quanquā excellentiore, quæ ad defendendā conservandamq; Remp. pertinet. Ergo absolvendus videtur, si non possit satisfacere pacto, quod terminos potestatis suæ excedit atq; ad destructionem Imperii tendit. Sane Elisabetha Regina Angliæ, cum promisisset Belgis auxilia diuq; præstitisset, postea cum nimis gravia illa Reip. essent, habitâ JCtorum deliberatione, imposterum ea se non amplius debere putavit. Vid. Camden. *ad Ann. 1595.* Quantum ad privilegia ab Antecessoribus concessa, eadem decisio est; Si enim ex causa juris translativa sint data, tunc nec is, qui dedit, nec successor jus semel translatum revocare potest. Secus, si mera gratia & instar precarii sit. Ad solutionem vere debitorum, quæ contraxit Antecessor, non tenetur successor, nisi vel hæres, vel in remp. versum sit.

Quæst. 4.

Ad §. 10. Verb. Non obstantibus Regni legibus sumtuariis, vestire se.

An leges vestiariæ pro ratione dignitatis constituendæ? Aff. quia vestium varietas & cultus corporis est signum extrinsecum dignitatis, quæ his veluti insignibus discerni solet, unde Justinus vestes vocat ornamenta dignitatis. *lib. 20. c. 4.* iisque matrona à viliore discernitur *in l. 15. §. 15. ff. de Injur.* Conf. *l. un. C. null. lic. in fren.* Atque ita in constitutionibus Imperii leges hæ vestiariæ sæpius repetitæ, semperque secundum varios dignitatum ordines ac gradus genera vestium distincta sunt. *Vid. Rec. Imp. de ann. 1577. tit. 9. & seqq.* quo Imperii lege ordines dignitatum luculenter dispositi, & in eos vestium decora digesta sunt. Hinc Rubitio Posthumo crimini datum, & inter accusationis capita relatum est,

eſt, quod palliatus fuerit, cum non eſſet inſigne hominis Romani Ærod. *Rer. jud. lib. 9. cap. 12.* Et veſtes, quæ uxoris, & quæ concubinæ causâ paratæ ſunt, dignitate differre, dicitur *in l. 49. §. 4. de Legat. 3.*

Quæſt. 5.

Ad eundem §. verb. Margaritis, gemmis.

An Margaritæ non ſint gemmæ? Reſp. Nos cum JCto *in l. 19. §. 10. ff. de Aur. arg. leg.* Margaritas negamus eſſe gemmas, nec gemmis legatis contineri Margaritas; ejusque rei veram eſſe rationem aſſerimus, quæ *in d. §. 18.* affertur, quod concha apud rubrum mare creſcat & coaleſcat.

ART. III.
Luſitanorum Religio, mores, & ingenium regionis.

I.

ROmanum omnes Luſitani agnoſcunt Pontificem, & Romano-Catholicam ſectantur doctrinam, ſuntque valde devoti, uti & plerumque Reges pios habuerunt. Gaudent duabus celebribus Academiis, Conimbricenſi & Eborenſi. Illa inſtituta à Joanne II. Rege; Hæc ab Henrico Cardinale, cum adhuc Archiepiſcopus eſſet. Conimbricenſem Philippus Hiſpaniæ Rex, etſi contra ſe ſententiam tuliſſet in negotio ſucceſſionis Luſitaniæ, ſervavit tamen non tantum, ſed & præter opinionem omnium teſte Thuano lib. 73. *fovit & auxit. Judæi & Saraceni, inquiſitione etiam in eos facta, toto olim regno expulſi ſunt. §. 2. Laude bellica ab antiquis jam temporibus valent Luſitani, quod ſint fortes, agiles, veloces, prompti & laboris patientisſimi. Navigandi induſtriam quoque & periculorum contemtum ex vero quis æſtimet, ſi recordetur quæ tempore Emanuelis & Succeſſo-*

cessorum ejus Regnum ac antea, navigationis fuerint susceptæ, primum ad oram Africæ, dein ad ultimum usq; orientem; quin & orbis circumnavigati prima laus ipsis debetur. Mercaturæ autem jam à multis annis deditissimi fuêre: unde incredibiles opes. Præcipua ipsorum laus fuit, quod semper amantissimi Regum suorum fuerunt, & obsequentissimi. Ob aëris salubritatem ad multam senectutem perveniunt Portugalli: Joannes Barrius, *Historiæ Lusitaniæ scriptor gravissimus, se testem fatetur oculatum, in oppido villæ Regalis quandam Isabellam Ribeiram agnovisse, quæ superstites sibi filios, nepotes ac pronepotes sexaginta viderat supra centum.* §. 3. Ludovicus Vertemanus, Venetus Senator, *cum toto penè orbe lustrato ad Lusitanos in India belligerantes venisset, hoc eis testimonium dedit:* Ego universum orbem peragravi, multis sæpe bellis interfui, sed hac gente Lusitanorum fortiorem vidi nullam. *De fidelitate Portugallorum erga suos Reges sufficiat illud præconium. At cujus hominis? Non domestici, sed externi, sed Belgici, sed Salmanticensis Professoris & diligentissimi chronicon Hispanicorum contextoris:* Quænam gens, *inquit,* toto reperitur orbe Regi suo obsequentior, quàm Hispani, quos cum quotidie Reges sui cum vitæ periculo in remotissimas regiones, & alio, ut ille ait, sole calentes, ad oppugnandos barbaros mittant, eâ accinguntur alacritate, quasi sine pulvere & sangvine rem essent domi gesturi, cujus rei, meo judicio, merita palmariam sibi laudem vendicant Lusitani, adeò Regi suo deditі, quasi ex unius vita penderet omnium. *Et Alphonsus Mendoza S. I. in Oratione ad Philippum III. inquit:* Fidei in Deum pedissequa est fides erga Regem, quæ sic eluxit semper in Lusitano, ut nihil supra possit excogitari. §. 4. Duarte Munez do Leano *celebrat cum singularem pudicitiam virginum Portugallicarum, quæ ita educantur, ut non prodeant in publicum, nisi fortè ad Ecclesias, & ne ad eas quidem nisi velatæ*

ut

ut facies earum conspici non possit: tum matronarum quoque castitatem & fidem erga maritos, ita ut supra modum abhorreant ab adulteriis, & ab iis, quæ se coinquinarunt, easq; quæ vel malè audiant, à consortio suo segregent. Quin etiam eas minus amant, quæ crebro nubunt, vel ad secundas nuptias transeunt. Grande quoque probrum ducunt maritatæ, maximè nobiliores, absente marito chartis aut alea ludere cum alienis, nec facilè hoc agunt, nisi cum germanis aut consangvineis. Indecorum quoque existimant vinum bibere. Oeconomæ sunt diligentes, & in omnibus domesticis officiis admodum industriæ, in vestitu decoræ & splendidæ, & munditiæ singularis. §. 5. De hodierno hujus regni cultu, deque ejus admirabili tum amœnitate, tumetiam omnis generis frugem copia atque ubertate, supervacaneum existimo verba facere. Antiquitus autem ea de re omnium optime Timocrates, *qui lib. Historiarum trigesimo quarto, de sui temporis annona ac rerum precio ita scribit: Ob optimam aëris temperiem animalia ibi sunt fœcunda atque homines; nec unquam fructus desunt in ea regione. Hordei siclus qui medimnum continet, drachma venundatur, & tritici novem Alexandrinis obolis, vini metreta drachma; hœdus mediocris obolo, sic & lepus: at agnus trium vel quatuor obolorum pretium esse consuevit. Sus qui ad centum librarum pondus accedat, quinque drachmis in cœnas emitur, ad ficuum talentum tribus obolis emitur. Vitulus drachmis quinque, bos jugo aptus decem; sylvestrium vero animalium carnes, neque pretio quidem ullo dignæ putantur, sed has inter se conferunt, benigneque admodum vicissim largiuntur ac mutant. §. 6. Præter aurum & argentum, quorum Lusitaniam olim feracem fuisse nemo ignorat, & ne nunc quidem exhaustam, etiam stannum habet plurimum, præsertim circa conventum* la foes, *ubi stanni fodinæ à Regiis Quæstoribus pretio locantur. Abundat quoque ferro, præsertim in oppido Penella. Plumbo quoque abundat prope Armenham,*

nham, ad radices montis Etminii. §. 7. Præter Crystallum, cujus copia jam vilitatem peperit, in Regno hoc reperiuntur multæ gemmæ & pretiosi lapilli. Duabus leucis ab Olyssipone juxta Bellas oppidum *Francisci Correæ, reperiuntur Hyacinthi optimi magna copiâ, tam in saxis quam separatim, qui cum Orientalibus certant. In Villa viçosa, principali urbi ducatus Brigantini, reperiuntur in visceribus terræ lapides virentes, quos vocant* Turquesas, *quorum multi certant cum Persicis. His annumerari possunt præstantissima marmora variis in locis; juxta Vianam reperitur marmor candidissimum, è quo, quia saxorum aliorum penuria ibidem est, extructa sunt templa omnia & pleraque ædificia; ipsaque itinera strata. Gagates quoque reperitur in variis partibus hujus regni, præsertim optimus in loco qui vulgo appellatur* Batalha. *Villæ viziosæ reperiuntur lapides virides valde pulchri, quorum copia in Hispaniam vecta, magnificum regis palatium, quod vocant* Escorial, *adornavit.*

Hæc quoque omnia posuimus, ut cætera, in facto & historia fidem secuti eorum, quos antea retulimus: in quibus, si quid aliter se habeat, aut nunc forte mutatum sit, in ejus præjudicium quicquid dictum fuerit, id dictum non esto.

Quæst. I.

Ad §. 2 verb. Orbis circumnavigati &c.

Q. An transitus maris commercii causa liber sit, ita ut cuivis pro lubitu pateat? Resp. Affirm. Ratio est, quoniam transitus est jus & unicum remedium, sine quo societas & commercium humanum non potest sustineri: Atqui societas & commercium aliquod inter homines, quo mutuo aliarum nationum copia aliarum inopiæ succurrat, est juris naturalis, Naturæ enim jure constitutum est, ut sibi communicare possent homines, quæ desunt; Ergò etiam ea sine quibus hæc societas & comercium conservari non potest, sunt juris naturalis. Hi transitus igitur, qui societatis humanæ conjungen-

jungendæ gratia, V. G. commercii,& matrimonii,quærendi causâ fiunt, impediri non possunt terrâ marive. Reliqui verò transitus V. G. exercitûs traducendi causâ, &c. ita demum naturali jure concedendi sunt, si innoxii sint; quoniam licitum est unicuique defendere suum territorium ab omni periculo & metu damni, & competit tantùm transitus innoxius. Ita Consultiss. vir Dn. PRESES *in prælect. jur. & gent.*

Quæst. 2.

Ad §. 3. Verb. Cum vitæ periculo &c.

Q. An Rex habeat potestatem in vitam ac bona subditorum? R. Hac in re sunt plures Principum adulatores, qui omnia subditorum bona, Principum bona vocant, & Principem pro arbitrio bona subditorum ad se trahere posse jactant: iidem jus Principi tribuunt in subditorum corpora, ita ut Princeps possit jure virgines, matronas, uxores suum in arbitrium inflectere absque omni injuriæ ratione. Illud jus in bona subditorum exercere dicitur Rex Moscoviæ. Sed hanc opinionem ita crudè intellectam esse falsissimam, probatur ex disertis scripturæ verbis *1 Reg. c. 21. v. 1. 2. 3. & 19.* ubi Rex Ahab audit comminationes Eliæ, quod vineam Nabod invasisset: quod si verò singuli non haberent bonorum proprietatem, Ahab puniri non potuisset. Unde impiè loquitur Hobbes *Cap. 6. de cive, art. 16.* ubi ait, ex legibus tantùm civitatis cognosci quid sit furtum, homicidium, adulterium. Itaque vera sententia hæc est, quòd Princeps habeat potestatem in bona subditorum duobus saltem casibus, scilicet vel quatenus ad defensionem & utilitatem Reipublicæ pertinet; vel in pœnam, si delinqvunt.

Quæstio 3.

Ad §. 4. Verb. Chartis aut aleâ ludere.

An lusus aleæ sit natura vetitus? Resp. Non quidem ipso jure

 naturali

Digitized by Google

naturali, at ferè plerarumque cultiorum gentium legibus prohibitum fuit in pecuniam aleâ ludere, imprimis apud Romanos; quorum legibus nec perdita pecunia peti, imò soluta, etsi utriusque turpitudo videretur, repeti potuit. *tot. tit. ff. de Aleat.* Cicero *in Philipp. II.* valde exagitat Antonium, quòd Licinium Lenticulum lege, quæ erat de alea, condemnatum restituisset, innuitque factum hoc ideò fuisse, ut collusorem haberet. Græcis octo saltem ludi permissi, reliqui prohibiti erant, de quibus, ut & de aliis ludis, Illustrium imprimis, sapientumque virorum vid. Alex. ab Alex. *Gen. dier. lib. 3 cap. 21.* Germani veteres malè apud Romanos audiebant, quòd tantâ essent lucrandi perdendique temeritate, ut, cùm omnia defecissent, novissimo jactu de libertate & corpore contenderint. Tac. *de Mor. Germ.* Hodie quoque legibus Imperii actio denegatur ei, qui ex alea pecuniam petit. Fuß-Knecht Bestallung *de ann. 1570.* §. 70. Et laudat Plutarchus Alexandrum Magnum, quod nullus ipsum ludus à negotiis abduxerit, nec milites ludere passus fuerit, Plut. *in Alex. M.* Quod, licèt alioquin ludus naturâ probibitus non sit, propter ingentes tamen abusus, qui vix evitari possunt, meritò probandum.

Quæstio 4.

Ad §. 6. Verb. Aurum & argentum &c.

Q. An gemmæ inventæ, aurifodinæ aliaque adespota pertineant ad regalia de jure naturali? Resp. Affirm. Quæ enim post occupationem territoriorum in prima divisione dominiorum, inter subditos factam, non venerunt in distributionem, sivè in singulos distributa non sunt, illa manserunt sub publica potestate territorii: Atqui Aurifodinæ, gemmæ in littoribus maris, &c. non sunt in privatos distributa; Ergò manserunt sub publica potestate territorii sive Principis. Quod autem qvibusdam locis

mari-

maritimis, bona naufraga sibi vindicet fiscus, licèt constet de Domino, pessima consvetudo est, & juri naturali penitùs contraria; jam que dudum prohibita à Frider. Imp. *in auth. Navigia C. de furt*. Ita Ampliss. Dn. PRÆSES *in prælect. Jur. Nat. & gent.*

****

Additio,

Quæ complectitur *Insignia & titulum Regis Portug.*

I

Superest ut de Insignibus ac titulis Regnum Portugalliæ, de quibus in præcedentibus quædam jam dicta sunt, mantissæ loco pauca addamus. Insignia Portugallica ita exponit Jacob. Spener. in opere suo Heraldico. *Scutum horum Regum* argenteum *est*, & quinq; parmulas *repræsentat* cœruleas in crucem dispositas. *Singulæ autem parmulæ* quinis nummis argenteis *in* decussim *dispositis ornantur. Scuto circumdatur* limbus coccineus, septem castella aurea *referens. Cæterum & olim Lusitaniæ signum fuisse crucem testantur Historiæ veteres. Henricus quoque* crucem argenteam *in* cœruleo scuto *sumserat, expeditionis cruciatæ signum. Legitur quoque inter insignia Portugalliæ olim fuisse* portam auream. §. 2. *Causam* quinque scutorum *non unam allegant: Alii* vulnera Christi quinque *iis designari volunt; quam in rem referuntur litteræ* Alfonsi Regis *apud* Caram. de Lobkovitz in Philippo *L. 2. art. 7.* Præcipio Successoribus meis in perpetuum futuris, ut scuta quinq; in crucem & quinque vulnera Christi in insigne ferant, & in unoquoque 30. argenteos, & super serpentem Moysis ob Christi figuram, & sit memoriale nostrũ in generatione nostra, & si quis aliud attentaverit, à Domino sit maledictus, & cum Juda traditore in inferno maceratus. Facta charta Colimbr. 3. Kal. Nov. Æra MCLII. *Subscripta nomina Alfonsi R. & aliorum plurium. Hæc tamen charta aliquibus suspecta est. Alii contendunt, electum fuisse hunc quinarium ad conservandam memoriam 5. Regum Maurorum, quos Alfonsus prælio vicerat. Vid.* sup. sect. 1. art. 1. *Ubi etiam exposui cum causam 30. argenteorum, qui insignibus inscripti fuerunt; tum rationem, cur nu-*

merus iste 30. argenteorum in singulis scutulis reductus sit ad quinarium: nimirum quinquies quina, si quinarium ipsorum scutorum addas, compendio eundem numerum constituunt. Cui accedit, quòd quinarius ubique Lusitanis faustus habitus fuerit. §. 3. *Conestagius refert, Reges Lusitaniæ, cùm diplomata subscriberent, semper* quinque puncta *decussatim locata addidisse,* vulnera *appellare soliti, in memoriam vulnerum Salvatoris. Unde Philippus Lusitaniam subacturus, cum aliàs soleret su[illegible] diplomatibus hæc verba :* Ego Rex : *diplomati in Lusitaniam misso ta[illegible] subscripsit* Rex .:.: *ad imitationem Regum Lusitaniæ.* Le Labour de l' orig. n. 70. 71. *putat, Alfonsum mutasse crucem* candidam *patris, q[illegible] in cruciatis expeditionibus gestamen illud nimiùm vulgare fuit, in crucem quinque scutis compositam, in decussim autem dispofuisse inscripta p[illegible] ut alterius formæ crucis* [*quam* Andreanam *vocant*] *etiam exe[illegible] haberet, imprimis quia in* Burgundia, *natali Henrici solo crux [illegible] frequentior. De antiquiori symbolo Alphonsi I. Regis ita* Joh. Caram. Lobkowitz in Joh Bragand. p 55. Nondum Regi sagittá symbolum, cujus perni[illegible] volatu promtitudinē in militares labores, velocitatemque signatam voluit; [illegible] Regi quinæ Lunæ, ob devictos totidem Maurorum tyrannos, quibus pro insigni Luna. Atque ex eo symbolo & quinis illis concinnata postmodum insignia, quibus Lusitania etiamnum gloriatur. §. 5. Castellorum, *quæ* limbum *exorn[illegible], rationem a totidem affinitatibus cum* Castellæ *Regibus contractis derivant : & quidem in Hispania non in frequens est affinitatum causa limbos certos assumi. Ajunt vero* Sancium II. *limbum hunc adjecisse, non tamen definito Castell rum numero. Alii* Alfonso. III. *adscribunt, cum dotis nomine Lusitaniæ à Castellanis quædam oppida cederentur in ea provincia, quâ* Anas *fluvius mare petit, controversa antea Utrique genti. Caram. Lobkovviz.* Philipp prudent. in præfat ad Lect. *adscribit* Johanni III. §. 5. *Descripto hunc in modum clypeo Reges* coronam *ex moderno more* clausam *imponunt.* Sebastianus *tamen, ultimus ex priori lineâ Rex, simplicem tantùm gestabat, clausarum consvetudine adhuc minus frequenti. Apex ex coronata galea erumpens & evolans* Draco aureus, *notando serpenti, quem* Moyses *in deserto erexerat. Hæc & alia scuti mysteria memorant versus* Caram. Lobkowitzii, Philippo prudenti *Præfixi:*

Poto[illegible] pi Christi transfossi vulnere quino,
Æneus est Moysi vera figura Draco.

Quin-

Quinque crucem clypeis cruciger quia morte subegit,
Maurorum Lunas quinque Monarcha tulit.
Quolibet in clypeo formavit stigmata quinque,
Ut cor sit Clypeo Christus & altus apex.

§ 6. *Joannem regem insignibus imposuisse* sphæram, *qua deinceps in omen* [illegible] *detecti novi orbis, legitur apud* Limn. Jur. Publ. 6. 6. 94. *Hoc* [illegible] *successoribus Regibus Portugalliæ adscribunt. Ex quo liquet*, Sib-[illegible] *apicem à vero abludere, qui* equi caput *imponit*. Bragantino-[illegible] *apex apud* Chiflet. in f. Eq. A. V. n. 244. *erat* dimidiatus eq[illegible] argenteus triplici vulnere in collo læsus, sanguine ex ore erumpente, freno coccineo, Jupato aureo. Symbolum *Regibus Portugalliæ peculiare fuisse putatur* [*certe in monetis illud videre est.*] In hoc [illegible] vinces; *ab apparitione Christi, qui ea verba ad Alfonsum prolocutus* [illegible]*tur*. Telamones *autem sunt Dracones, duo vexilla insignibus regiis* [illegible] *gestantes. Addit* Sammarth. dans l'estat de Portug. p. 321. reg[illegible] papillonem *cæruleum ornatum scutis Lusitanicis*. Ordo *militaris* [illegible] *quem* Jesu Christi *vocant, cum cruce inde dependente: additur* [illegible] *scutum crux viridis in liliorum flores terminata pro ordine* A[illegible]. *Regni Algarbiæ tessera est scutum ex argento & minio quadripartitum. In argenteo visuntur singula capita Maurorum, diademate tortili argenteo revincta: utraque rubea, quadraberma regius adversa fronte, aureo amictu. Hæc videntur esse trophea victoriarum adversus Mauros.* § 7. *Titulus denique Regibus Portugalliæ usitatus, uti citatur Part. V. Diar. Europ. ad Ano. MDCLX. Mens. Decemb. p. 246. hic est:* Rex Portugalliæ, Algarbiæ & citerioris atque ulterioris lateris Oceani Africani, Dominus Guineæ & conquisitarum navigationum & commerciorum in Æthiopia, Arabia, Persia & Indiis &c. *Unde apparet, Regibus Lusitaniæ, insigne ac præcipuum præ omnibus aliis esse, quòd titulis suis, non terras modo & maria citerioris & ulterioris lateris Africæ sed navigationes quoque & commercia ipsa complectantur. Idque ita inde à Rege Emanuele patefacta in Indias viâ maritimâ obtinuit, observatumque fuit.*

Quæstio I.

§. 1. *Verb. Henricus quoque crucem argenteam in cæruleo scuto sumserat*

An insignia privato arbitrio eligi ac mutari possint? Resp.

 Insignia

Insignia varia sunt; alia publica dignitatis & officii, quæ non possunt sumi aut dari, nisi ab eo, qui ipsam dignitatem officiumve dare aut constituere potest; neque aliter aut alibi, quàm constitutum est, usurpari possunt. Uti insignia Proconsularia Proconsul Romanus non habuit nisi extra urbem *l. 1. de Offic. Proc.* Unde, cùm Princeps sit fons omnium dignitatum ac officiorum, nihil dubii est, quin eorum insignia publica dare ac mutare possit: quod inferioribus autem magistratibus regulariter non licet; nisi in specie id à Principe concessum sit, uti certa lege concedi solet Comitibus Palatinis Alia verò sunt insignia privata familiæ; eaque unusquisque paterfamilias arbitrio suo fingere, familiæque suæ inferre potest; cùm sint juris & arbitrii privati, *l. un. C. de Mutat. nom.* nisi juribus loci aliud sancitum, fuerit. At, si publicâ autoritate Principis privato ejusq; familiæ dignitas collata fuerit, additis certis insignibus, mutari insignia ista non possunt *l. 10. C. de Ing. manum.* Multò magis igitur Princeps aut Rex regia familiæ suæ insignia confingere, & mutare potest; tum jure Regis tum Patrisf. imprimis cùm insignia sint Juris positivi, quod sub potestate Principis est. Atquè ita mutatorum insignium regni exempla non modò in Portugallia; sed in Gallia, alisque Regnis plurima occurrunt.

Quæst. 2.

Ad §. 3. Verb. Ad imitationem Regum Lusitaniæ.

An licet alterius insignia assumere atq; usurpare? Resp. Certum est, insignia Principis vel officiorum à nemine usurpari posse; adeò ut severissime in eum animadvertatur, qui regiis insignibus utitur. *l. un. C. Null. lic. in fren. tot. tit. C. Ut nem. priv. tit.* idque apud Persas capitale adeò fuit, ut Alexander M. in Persia, cùm diadema ejus viventi in flumen projectum arundini hæreret, milesque, qui id natando

do repetebat, capiti imponeret, ne aquam contingeret, pro opera quidem talentum militi dederit, at pro gesto insigni morte puniverit; ut quidem Arrianus narrat: Quod, si verum est, injustitiâ insigniore non vacat. Quin idem Alexander M. cùm ipse militem semianimem solio regio imposuisset ac refecisset, nihil quidem pœnæ in eum statuit, sed tamen apud Persas id capitale esse dixit, referente Val Max. *lib. 5. cap. 1.* quæ utique lex capitis huic militi quo inscio sensusque omnis experte, ipso quoque Rege autore, id factum fuerat, applicari non poterat. Sed & quisquis illicitis insignibus utitur, lege Cornelia de falsis tenetur. *l. 27. §. ult. ff. Ad l. Corn. de Fals.*

At privata familiæ alterius insignia alter adsciscere, & ubique in suo pingere potest. *per l. 63. §. 10. ff. ad SC. Treb.* quia eodem jure, quo prior Paterf ea sibi elegit, alter quoque eandem sibi imaginem adsciscere suisque rebus insignium titulo inscribere potest: nisi id in fraudem alterius fiat, ut additur *in d. l. un. C. de mut. nom.* Verb. *sed sine aliqua fraude:* uti, si homo vilis seu turpis notæ, Clarissimi Viri seu familiæ, aut opifex vulgaris, egregii alicujus artificis insignia usurpet, mercesque suas iis designet. Ita plebeji non possunt uti galeis apertis, quia illa Doctoralem Equestremque dignitatem Insigniunt. Besold. *de Nobilit.* Sed &, licet nihil dolo fiat, si tamen alterius intersit ratione insignium suorum, ne alter iisdem utatur, huic usus eorum interdicitur, *c. dilecta 14. vers. de Excess. Præl.* Quod intelligendum est de nova insignium adoptione; si enim uterque ab antiquo insignia eadem jam habuit, neutri jus quæsitum auferri debet. Non facilè autem familia, imprimis illustris, alterius familiæ insignia assumit, tum quia distinguendis familiis insignia inventa sunt, tum, quia varii inde tituli, variaque jura duci solent, confundique possunt. Unde nulla mihi videtur conjectura Freheri, qui Henricum

Co-

Comitem Palatinum Rheni, è domo sua Brunovicensi Leonem Palatinatui colore mutato intulisse, longeque certiùs idem Autor Leonem Palatinum esse vetustissimum illud insigne Pipinorum, Comitum Palatinorum, quique inde nati sunt Regum Francorum, qui Hunnibaldo teste, jam Leonem pro insigni familiæ gesserunt, conjectat, vid. Freher. *de Orig. part 1. c. 12.*

Quæst. 3.

Ad §. 7. Quod titulis juis non terras modo & Maria.

An maria occupari possint? Resp. 1. occupari, id est, in potestatem redigi naturaliter, perinde ac terras, ita ut natura posse maris nullo modo repugnet: quanquam Grotius *tract. de Mari lib. & tract. d. J. B. & P. lib. 2. cap. 2. §. 3.* dissentiat. Resp. 2. Posse etiam de jure maria occupari, sed salvo omnibus communi jure navigandi, de quo ad *sect. 3. art. 3. quæst. 2.* Ita Jupiter apud Virgil. *lib. 1. Æneid.* Veneri, filiæ suæ prædixit ac pollicitus est, ex sanguine. Teucrórum orituros Romanos, *Qui* MARE, *qui terras omni ditione tenerent.*

Quæst. 4.

Ad eund. §. Verb. Sed navigationes quoque.

An regalia & Majestatis jura etiam in ipsas navigationes & commercia statui possint? Ratio dubitandi est; quòd illa nihil sint nisi facta; jurisdictiones autem & regalia jura territoriis inhæreant. Item quod navigationes quoque & commercia jure naturali sint communia. Verùm per navigationes hîc non intelliguntur facta sed jura; totum navigandi commercandique negotium: in quod alii Imperium & regalis potestas competere potest, cum ratione personarum navigantium, tùm ratione portuum, ac fortalitiorum, quæ in littore habentur, & quibus navigationes defenduntur. Nec jus privatum navigandi, quod omnium commune est, & in privatis utilitatibus consistit, per hoc imperium tollitur.

FINIS.

MANTISSA POETICA.

BILANCI JUSTITIÆ BELLI ET PACIS IMPOSITA.

Epigramma I.

Ad Serenisſ. & Potentisſimum Luſitaniæ Regem.

Poſtulaſti tibi Sapientiam ad diſcernendam judicium, 3. *Reg. c.* 3. *v.* 11. 12.

JUſtitiam Pacis tibi conſecro Pacis amanti,
Juſtitiam Belli juſte Monarcha tibi.
Tu Numa Luſiadum, gnarus ſine labe tueri
Juſtitiamque ſagi, Juſtitiamque togæ.
Nupta dum Regi *Sapientia* cominus adſtat,
Quid, niſi quod rectum eſt, pendet amica Themis?
Ergo tibi ſtatuo ſignatum hac laude Colosſum:
Hic juſtus Patriæ dicitur eſſe Pater.

Epigramma II.

Ad Serenisſimam Reginam.

TEnſa profecturæ tibi valea Favonius implet,
I pete Luſiadum Sponſa *Sophia* Lares.
Jam tibi panduntur prædivitis oſtia regni,
Jamque tibi *Petri* Regia tota patet.
Virginibus fatuis occludit limina Sponſus,
Lumina ni rutilent, limina nulla patent,
tV VIrgo sapIens ornata LaMpaDe fVLges,
CVI reſerata tVI IanVa RegIs erIt.

Digitized by Google

Epigramma III.

Ad utrumq; Regium Conjugem.

FOrtia connubii durabunt vincula veſtri,
Nam fortis forti juncta *Leæna Petre eſt.*
Petra procelloſas irridet Thethyos undas?
Quis neſcit vires nupta Leæna tuas?
Si movet Herculeos Lethum furiale lacertos,
Non domat Alcidis tam cito clava duos.

Epigramma IV.

Ad Illuſtriſſimum & Excellentiſſimum Dominum,

DOMINUM EMANUELEM TELLESIUM SYLVIUM,

Comitem Villar-Majorium, Dominum Alegreti & Præceptoriarum Albufeiriæ, Mauriæ & Souriæ, Sacræ Luſitanicæ Majeſtati à conſiliis ſtatus & belli, primæ admisſionis cubicularium, Regni portoriorum Præfectum, & ad Sereniſſimum Principem Elect. Palat. Legatum Extraordinarium.

SE, Paranymphe, tuæ ſubdit mea paginâ limæ,
Quas tibi crediderit, nam ſcio, Pallas opes.
Quos habet implicitos quæcunque ſcientia Criphos,
Explicat aoniis hos tua lingva modis.
Mente tuâ Sophicos indagatrice receſſus
Et Themidis lancem diſcere cura fuit.
Debebat *Sapiens*, quando *Sapientia* nupſit,
Mitti, qui poſſet Regis obire vices.

Ad

Digitized by Google